






BIZZA
VAR
OPVS
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE-FIRENZE
RACCOLTA NENCINI
ALDINI
II
2
15











PETRI BIZZARI

VARIA OPVSCVLA,
QVORVM INDICEM
SEQVENS PAGINA
DEMONSTRABIT.



VENETIIS, M D LXV.



AD ELISABETHAM SERENISSIMAM ANGLIAE REGINAM.



SVNT, & fuerunt perplures, qui non minus erudite, quàm luculenter atque ornate de his quæ ad Principis regimen ſpectant, diſſeruerunt. Nec enim ullis temporibus quicquam utilius eſt magisq; neceſſarium, quàm eos qui reliquis præficiuntur, ſæpe admonere, ut agant quæ agenda ſunt, uitentq; contraria. Siquidem hoc illis maximum incitamentum eſſe ſolet ad conſiderationem earum rerum, quæ per eos fieri debeant. Quod quidem ſi euenerit, quàm felices erunt hi populi quibus huiuſmodi Principes contigerunt? Tibi uero (Sereniſsima Regina) ſuperuacanea eſt huiuſmodi exhortatio, cum nihil unquam prætermittas quod ad ueram ac legiti-

mam gubernationem pertinere animaduertas, adeo ut potius cæteris Regibus ac Principibus bene regendi quædam (ut ita dixerim) forma ideaq; sis, quàm ut aliorum præceptis & cohortatione indigeas. Narrarem hic præclarissimas corporis, & animi tui dotes, nisi hæ omnibus iamdudum innotuissent. Dicerem quàm felix modo Britannia, nisi res ipsa pro me loqueretur. Quid ergo (inquiet aliquis) nouus hic de Principe libellus ad Reginam sapientissimam? Quid sibi uolunt tot præcepta? Fateor hæc tibi minime opus esse. Cæterum patere obsecro, ut uel hoc saltem testimonio aliqua ex parte declarem, quanta sit mea in te obseruantia quamq; tibi ac tuo Regno læta & fausta omnia ex animo cupiam. Bene interim ac feliciter ualeat tua Regia Maiestas. Venetiis, Kalendis Iunij M D LXV.

Tuæ Regiæ Maiestatis

humillimus famulus

Petrus Bizzarus.

Bernard. Thomitanus.

Legerat attritas Britanno è littore conchas
Tityrus, vt canas luderet inter oues.
Inde cruor subito est formosa in vellera lapsus;
Enituit nullo lana cruore magis.
Hac te magna Pales, hac donat filia Nerei,
Iura dabis terris, æquor Elisa reges.

Benedictus Varchius.

Dum patrio in solio Dijs æqua virago locatur,
Londinum hos læto protulit ore sonos.
Fortunam puduit tandem, voluitq; tot amplis
Naturæ, atque animi dotibus esse comes.
At Tamesis: longum viuat Regina per æuum,
Quæ superat magnas Elysabetha Deas.

Cornelius Amaltheus.

Quæ sese arbitrio Phrygij pastoris in Ida
Auratum ob malum supposuere Deæ;
Nunc Reginam opibus, forma & virtute decoram
Præstare aspiciunt lucida ab arce sibi.
Ipsa tamen cœlo magnorum gloria Diuûm
Fulget, & inuicto numine restat honos.
At si connubio digno se Regia virgo
Iungetur, vincet terra Britanna Polum.

Vulpianus Veronensis.

Vix certo signabat humum pede, venit ad aras,
Liliaq; imposuit, punica mala, rosas.
Ore pio, & puro venerata est pectore Diuos
Infans, cui requies nomina sancta dedit.
Moxq; datum sapere, & fari præclara puellæ:
Labra rubent acinis; floribus ora nitent.
Lumen apex pomi fuluum mutatus in aurum
Incipit è pulchris fundere temporibus.
Et ne dissideat nomen cum mente, Britannus
Hac duce diuitijs ocia plenus aget.

Εἰς Ἐλισάβετ εὐσεβεστάτην βρεταννίας βασιλίδα: Πέτρου τοῦ βιζάρου.

Πλεῖστα μὲν ἄλλ' ἔλαχεν καυχήματα νῆσος ἀγαυὴ
Ἥδε, τάκ' ἀνθρώπων οὔτις ἅπαντα λέγοι.
Π' γὰρ ἄλις ἐφέεσι ἐνὶ νήσοισι βρεταννὶς
Ἱμερτὴ νῆσος πρῶτα φέρειν ἐθέλει.
Ἀλλὰ τόγ' ἐκ πάντων αὐτὴν βαθύδοξον ἔθηκεν,
Ὅττι σε τοιαύτην νῦν βασίλειαν ἔχε.
Αἰδοίην χαρίεσσαν, εὔθρονον, εὐπατέρειαν,
Εὖ μάλα πάσεσι πιερίδεσι φίλην
Ὥς μάκαρ εὐδαίμων θ' ὅστις σέθεν ἀγλαόμητι
Εὔχετ' ἀνὴρ μίτρην θνητὸς ὑπενδιάειν.

Petri



DE OPTIMO PRINCIPE, LIBER.

AD ELISABETHAM SERENISSIMAM ANGLIAE REGINAM.





VLTI de Optimo Principe differentes, ostenderunt, quænam sit optima via & ratio gubernandi. Omnium autem communis hæc sententia est, ut ametur a suis, & apud eos auctoritate præpolleat. Hoc vero nulla re facilius comparari posse existimant, quàm si veram Dei religionem ex animo complectatur. Nec enim (inquiunt) poterit non quouis honore dignus censeri, feliciterq; imperare, quisquis Deum esse credens, diuina pie ac reuerenter colit, certoq; sibi persuadet, quicquid humanum genus prouidi, acuti, præclari ac excelsi habet, non sua ipsius industria & solertia, sed gratuita cœlestiq; bonitate ac beneficentia consecutum esse. Et sanè si quis rectè consideret, maxime consentaneum videbit, ut quò quisque in sublimiori di

gnitate positus est, atque amplioribus donis & beneficijs affectus, eò magis illum colat & veneretur. Terrestris itaque potentiæ sceptrum idcirco sibi traditum est, ut diuini numinis exemplo, terrestris fieret populorum custos. Fit præterea, ut homines eum Principem, qui sit amator pietatis & bonarum actionum studiosus, maximo semper amore ac reuerentia prosequantur. Illum enim existimant diuinitus amari, miraq; ac singulari prouidentia defendi. At quem Dei contemptorem & vitijs deditum animaduertunt, acerrimis odijs execrantur, nec dubitant, eum tandem suæ impietatis pœnas daturum esse.

Decet quoque, ut reliquis etiam uirtutibus adornetur, et voluptates ut rem pestiferam bonorumq; morum corruptricem à se & à suo Regno propellat. Sicut enim prudens ac peritus Nauclerus perpetuo inuigilat, ut nauis à tempestate præseruetur, sic & illi semper inuigilandum est, temoq; iustitiæ & æquitatis manu tenendus, ac iniquitatis procellæ forti animo repellendæ, ne suæ Reipublicæ nauis iniustitiæ turbinibus huc illuc agitata & concussa intereat. Iugi quoque & assidua prudentum virorum consuetudine fruatur, ac eorum præcipue, qui in rerum diuinarum & humanarum cognitione quàm maxime excellant, nihilq; sibi agendum statuat citra sapiens illorum consilium. Nec duntaxat cogitet, quantus sibi honos impendatur, sed

multo

multo magis, quantum oneris & curæ immineat. Tributa quoque & vectigalia non vt prædam ad se peruenisse, sed vt administrationem quæ sibi summa cum integritate dispensanda sit, neminemq́; rite ac legitime imperare, nisi eum cui Deus imperium destinauit. Quoniam vero vniuersi sub eius nutu ac imperio constituuntur, existimandum est, ac etiam sine vlla hæsitatione credendum, bonos Principes dari à Deo non secus ac singulare aliquod beneficium. Etsi autem ipse vniuersorum est Pater, eos tamen potissimum sibi in filios adoptat, quibus dat potestatem cæteros gubernandi. Quicunque igitur alijs præest, summa ope nitatur, vt non solum crimine, sed etiam suspitione criminis vacet, omniq́; virtutum genere studeat reliquis mortalibus antecellere. Mentis etiam cogitationes atque consilia perpetuò sibi examinanda sunt, & cogitandum quàm turpe sit, imprudentes & vitiosos prudentibus ac honestis imperare. Hac enim cogitatione fiet, vt maxima diligentia vtatur in his quæ ad sui muneris partes pertinere cognouerit.

Prima itaque ipsius cura et cogitatio de Republica esse debet, ac eorum qui sibi subduntur incolumitate atque salute, hisq́; nihil antiquius habere; seq́; ita gerat, vt omnibus carus & gratus existat; & certo norit, illud Regnum fore stabile ac diuturnum, in quo publico & communi beneficio

con-

consulatur. Nec enim Princeps aliud fermè est, quàm populi moderator atque corrector. Qui vero ab huiusmodi cura & meditatione animum seuocat, vel ista se præstare posse diffidit, satius omnino foret, vt priuatam vitam eligeret. Cæterum si voluerit quæ suarum sunt partium agere, hoc inprimis curabit, ne cuiquam fiat iniuria, nec ciuem ciui molestum esse patietur, dabitq́; operam vt quisque iuxta meritum honoribus ac præmijs afficiatur. Curas autem rerum gerendarum his potissimum committat, qui eas probe norint, nullo habito personarum discrimine an sint nobiles vel ignobiles, inopes vel opulenti, haud ignarus omnia errata quæ ab alijs fiant, sibi ascribi; & si quid eorum quæ agenda sunt, sua negligentia prætermissum fuerit, omnes iudicabunt eum ignorare quænam sit recta ratio gubernandi. Quocirca in dandis dignitatibus vel muneribus, eos præcipue promoueat, in quibus virtus & probitas elucebit. Nec enim quicquam imperanti perniciosius est, quàm si hoc neglexerit. Adhæc si qua fuerit in sua ditione consuetudo non admodum recta, nec vtilis ac honesta pro ciuibus, eam omni diligentia vt auferatur vel immutetur, procuret, præsertim si ea nimis onerosa sit. Eas vero leges vbique ac sedulò inuestigari ac promulgari faciat, quæ iustæ sint, ac cedant in commodum Reipublicæ. In ciuilibus autem controuersiis ita iudicis officio fungatur, vt

nun-

nunquam sententiam ferat, iuxta vllius libidinem, nec à priori discrepantem, at semper in eis æquabili ratione procedat. Præterea erga pauperem & diuitem eodem modo se gerat. Aequum est enim vt quemadmodum leges citra vllius discrimen proponuntur, sic & Principum sententiæ ratæ immutabilesq; permaneant. Opus est etiam vt in omnibus negotijs vitæq; perpetuitate sibi constet, cum subinde immutari, leuis & inconstantis animi sit indicium. Ab improborum congressu & consuetudine prorsus abhorreat, firmaq; constantia illorum familiaritati adhæreat, quorum prudenti consilio & præclara eruditione possit esse prudentior. In rebus prosperis & ad eius voluntatem fluentibus, fastidium, superbiam, arrogantiam summopere fugiat. In aduersis non frangatur animo, sed instar solidæ basis in medio ædificij firmum & constantem animum retineat, nulla spe, odio, reliquisq; mentis perturbationibus agitatum. Proinde illud semper meminerit.

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum pectus.

Itemq;,

Æquam memento rebus in arduis
Seruare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitia &c. Studeat igitur in omni vita æquabilitatem seruare, seq; Deo, (quoad eius fieri potest

test) in suis actionibus assimilari, sciatq; tanto se meliorem futurum, quanto magis eius naturam imitabitur. Proinde sibi omni cupiditate atque iracundia vacandum, & quatenus etiam ipse morti obnoxius est, de se quàm minimum sentire debet. Et si enim diuina colitur effigie, tamen adhuc fragili ac terrena mole circunsepitur. Quare sibi persuadeat, eam quæ ex facilitate ac mansuetudine venit securitatem, longe tutiorem ac certiorem esse, quàm quæ ex nimia seueritate proficiscitur, talisq; sit in suos ciues, qualem cupit in se Deum esse. Hoc etiam secum animo perpendat, Deum esse placabilem, nec statim hominum delicta corrigere, & castigare pro meritis. Hac enim consideratione fiet, ut ipse quoque Deum imitatus, multo mitiori animo sit futurus in delinquentes, ac secum cogitabit, quod vt mundi aspectus gratior est oculisq; formosior puro ac sereno cœlo quàm quũ omnia crebris fulgoribus, tonitruis, fulminibus & procellis concutiuntur, ita & ipsius regimen, quum quiete, iuste ac moderate imperat. Nec enim alia est tranquillæ & moderatæ administrationis facies quàm quæ sit lucidi ac sereni ætheris. Contra vero, crudelis ac sæui Principis administratio turbida est ac obscura inter trementes, qui ad repentinum sonitum perterresiunt, nec etiam sine maximo timore ac periculo gubernantis. Mitis autem & pacifici, semper quietum, sineq; vllo terrore ac

metu exiſtit. Quocirca ſi comis & placidus eſſe, ac de plurimis benemereri ſtuduerit, tutiſſimam ſui corporis cuſtodiam ſibi parabit. Nec enim Principi ulla tutior cuſtodia, quàm firma ſuorum ciuium & cæterorum quibus præeſt, beneuolentia. Id uero nulla re facilius aſſequetur, quàm beneficentia in eos qui eius ope ac patrocinio indigebunt. Nam quæ laudes ac honores metu dantur & fiunt, ſunt fucata & ſimulata quædam aſſentatio ficti honoris dum dignitatum inſignibus eos adornant, qui illas maxime ambiunt & affectant. Tutiſſimum quoque illi erit, ſi ciues habuerit ſtudioſos, probos, ſui amantes, & mutua inter ſe caritate atque amore coniunctos. Et ſi etiam ipſe in primis modeſte ac prudenter ſe geſſerit. Nam ſi ſecus egerit, non multa diuturnitate ac felicitate ſe ipſum ac ſuum Regnum ſtabiliet, quin potius breui unà cum illo interibit. Procuret etiam vt natura ſit facili & quàm ſæpiſſime de his quæ ad ſuam ipſius adminiſtrationem ſpectant, cum doctis ac prudentibus viris communicet. Cura quoque rerum priuatorum hominum ſibi habenda eſt, ac putandum quodammodo ſibi ex ſuis bonis decedere, quum illi ſuas fortunas inutiliter conſumunt, & quorum augentur induſtria, publicum quoque ærarium aliqua ex parte per illos augeri. Quicquid enim ciues poſſident, proprie & fere Principis uidetur eſſe, cum libere ac ſine vlla exceptione (ſi ita res poſtulet)

stulet) illorum bonis vti possit.

Studendum est etiam vt in omni uita sic uirtutem ac integritatem colat, vt maior fides illius verbis, quàm uel aliorum iuramentis adhibeatur. Vt omni cura & metu Ciues liberet, nec se innocentibus ac probis formidabilem præbeat, nihilq; vnquam extra ius & æquum sibi vsurpet. vt enim speculum talia reddit vultuum simulacra qualia inuenit, læta eorum qui læti sunt, & tristia qui tristes: ita iustum Dei iudicium persæpe nostris actionibus comparatur, & qualia sunt quæ à nobis fiunt, talia uicissim nobis reddit.

Nec sibi mediocris cura & meditatio adhibenda in amicorum delectu atque discrimine. Nam hi solummodo eligendi sunt, quos virtute uiderit esse ornatos, & quorum prudentia & consilio iuuari queat.

Nec vlli se admodum familiarem præbeat. Vulgatum est illud. Familiaritas parit contemptum, & omnia præclara rara. Eos itaque in primis eligat quos propter aliquam insignem ac excellentem uirtutẽ haud penitus indignos Principis amicitia fore iudicabit. Nec illos qui sibi ob sales facetumq; ac festiuum sermonem grati sint, negotijs rebusq; præficiat, sed præcipue quorum opera & rerum cognitione facilius quæ sunt agenda perficiat. Et qui concentus gratior est proborum auribus, quæ familiaritas iucundior, quæ denique vtilior

lior exercitatio, quàm illa quæ cum doctis & honestis viris habetur? Ex horum quippe colloquio & familiari consuetudine quiuis eruditior ac melior euadet. Quam ob rem sapienti Principi omni ratione inprimis curandum, vt semper in suis rebus homines prudentes ac eruditos in consilium adhibeat, certoq; sciat sibi soli tribuendum, si quid minus prospere ac ex animi sententia successerit. Vt enim oculus in humano corpore datus est homini à natura pro cura & tuitione singulorum membrorum, ita Princeps ordinatur à Deo, vt legitime imperet, & communi vtilitati prospiciat. Et sanè (vt est apud Xenophontem) bonus Princeps nihil à bono patre differt. Singulorum itaque cura veluti suorum membrorum, illi habenda est, vt honeste viuatur, nec boni à malis opprimantur. Illos autem sibi fideles vereq; amicos censeat, qui eum (si ita res exigat) commonefaciunt ac errantem placide modesteq; corrigunt, ac errores ostendunt, & minime illos qui more adulatorum semper quicquid agit & loquitur, laudibus efferant, & perinde ac si diuinitus ea fierent, suspiciunt & admirantur.

Prudentibus quoque liberam loquendi facultatem concedat, vt si quid uocetur in controuersiam, consultorem habeat qui sciat se apud eum libere omniq; metu deposito quæ sentiat, loqui posse.

Diligenter in primis caueat, ne assentatoribus vllo

vllo modo aures patefaciat. Hi enim rectas mentis cogitationes peruertunt, nec sinunt uerum a falso discerni, vt plurimum laudantes quæ iure culpanda sunt, & vitio dantes quæ laudanda. His itaq; vitatis, proborum ac eruditorum uirorum sermonibus & commercijs adiungatur. Nec enim aliunde melius quàm ex his, quo pacto se gerere debeat, cognoscet. Nam reliqui tantummodo assentari student, atque umbram corporis imitati, singulis eius cum dictis tum factis applaudunt, quo eius gratiam & beneuolentiam sibi concilient. Ab his ergo se rite coli & amari intelligat, qui omnia recte agunt & cum iudicio, quiq; tunc solummodo ei gratulantur, quum aliquid præclare & laudabiliter egerit, dolentq; ac eum modeste incusant, si ab officio rectaq; ratione discesserit.

Sciat insuper, se plus illis debere, qui pro eius incolumi statu & salute apud Deum preces effundunt, quàm qui valde munifici ac liberales in eum uideri student. His enim pari & ampliori quoque beneficentia potest gratias referre, at illi se apud Deum uadem constituunt, qui testimonium reddit eos maximopere sibi obligatos esse, & idcirco sit semper erga illos animo benigno & liberali. Vt enim solis est, orbem radijs illustrare, ita Principem decet undiquaque respicere, misereri oppressorum, eorumq; incommodis mederi, quò ipsius virtus illustrior sit magisq; conspicua. Sol enim cedit

ſuccedenti nocti, at ſibi malorum improbitati nunquam cedendum, nec conniuendum prauis operibus, at potius ea punienda, vt omnes videant, eum iuſte ac legitime imperare. Sedulò itaque procuret, vt ſuarum actionum ſplendor & optimæ cogitationes in ſuorum animis perpetuò micent ac inſtillentur.

Crebro etiam & accurate ſecum conſideret, quomodo res apud ſe gerantur, & num recte vel iniuſte adminiſtrentur. Id vero perquàm optime intelliget, ſi viderit eos quorum habet gubernationem, ſua cura & ſtudio ſubinde meliores ac temperatiores fieri. Huius autem rei haud leue argumentum erit, ſi curauerint potius honorificum nomen & famam ſuis liberis relinquere, quàm opes atque diuitias, cum hæ ſint fragiles & caducæ, illud autem æternum ac immortale, cumq; nominis integritate opes multo facilius comparentur, quàm per eas honos habeatur. Id autem à ſe percommode fiet, ſi ſemper cum in dictis tum in factis cauerit, ne in aliquem errorem ipſe delabatur. Adhæc ſi qua neceſſitate in aliquod periculum et diſcrimen adigatur, malit mori pro ſuis, quàm turpiter ac ignominioſe viuere.

In ſingulis quoque actionibus ius imperij teneat, & diligentiſſime caueat, ne quicquam re aut verbis indignum ſe ſuaq; perſona & dignitate committat. Cæterum (vt breuiter dicatur) ſtudeat cœleſte po-

tius ac diuinũ animal videri, Deoq́ similius quàm homini, ornatum omni genere virtutum, omnibusq́ numeris absolutum, qui ad cõmune beneficium natus appareat, quin etiam cœlitus emissum ad subleuandas hominum curas eisq́ prospiciendum: Cui nihil Republica sit carius atque iucundius, cui sit erga omnes animus magis quàm paternus, cui denique singulorum vita non secus ac sua, sit cordi. Quicunque igitur sedet ad gubernacula, semper meminerit sui muneris, & sic facile videbit, sibi aliorum incommodis prouidendum, semperq́ inuigilandum, vt sui tranquille degant, summaq́ morum seueritate sibi viuendum, licet in alijs vel mediocris vitæ innocentia satis videri queat, animum omnibus priuatis affectibus exuendum, & vix de re alia quàm de communi omnium salute ac beneficio, cogitandum. Hæc autem omnia perfacile assequetur, si qualis videri vult, talis esse allaborauerit. Nec enim vera laus censenda est quæ metu habetur, vel quæ à parasitis datur.

Nouerit autem duo esse potissima, quibus Regna & Imperia facillime subuertantur, & à quibus maximopere sibi, atque assidue cauendum est; Odium & Contemptum. Priori, beneuolentia obijcitur, alteri auctoritas. Quocirca diligenter obseruet, qua ratione vtrumque à se vitari queat. Odium sanè contrahitur sæuitia & immanitate, vt Nero, & Phalaris; ebrietate, vt Alexander cognomento

gnomento Magnus; superbia, ut Tarquinius; rigore ac rapacitate, ut Dionysius, violentia in mulieribus, ut innunera exempla ostendunt cum veterum tum recentium tyrannorum, ex quibus plerique interfecti sunt. Id autem huiusmodi est, ut facilius excitetur, quàm ut semel excitatum placetur. Quare maxima sibi cura semper adhibenda ut à suis diligatur. Maximo nanque præsidio destituitur, quisquis à gratia & beneuolentia suorum exciderit. Contra vero firmissimam sibi custodiam & præsidium præparat, quisquis populi ciuiumq; animos caritate sibi deuincit. Hanc autem obtinebit, si ab omni tyrannide animum alienum gerens, fuerit clemens, comis & mansuetus, & si iustitiam in primis coluerit. Contemptus potissimum prouenit, si voluptati, luxui, ac intemperantiæ dedatur, ex quo etiam fit, ut nascatur odium si quid crudele interseratur, si frequentioribus conuiuijs & lusibus oblectetur, si stultis ac histrionibus faueat, si stupidi sint & amentes, si etiam sint molles ac effeminati, ut olim Sardanapalus, qui ob id Regnum amisit. Auctoritas vero integritate, prudentia, continentia, sobrietate, & diligentia comparatur. His itaque virtutibus præditum esse decet quicunque à suis æstimari, & auctoritate cupit præcellere. Stulte autem opinabitur, id fieri magno ac splendido equitatu, tectis marmoreis ebore & auro fulgentibus, signis, tabulis, cælato au-

ro & argento; corinthijs operibus, reliquoq; apparatu rerum pretiosarum. Et quis vnquam nisi fatuus, atque amens, putabit eum propterea laudandum ac suspiciendum, quoniam his abundet? At si potius talis extiterit, vt prudentia & vitæ probitate reliquis omnibus præluceat. Porrò ad tuendam conseruandamq; auctoritatem plurimum valebit, si nunquam nisi publicæ vtilitatis gratia, prodeat. Quæ sit autem ipsius mens, & qua sit prudentia, multo facilius ex eius oratione quàm ex opiparis conuiuijs & purpureo habitu dignoscetur. Mox enim vulgatur omnibusq; in propatulo est quicquid ex eius ore, ioco, vel serio emanauerit. Quare summa illum ope niti decet, vt omnia eius dicta sint plena grauitate atque optimis documentis adeò vt ab ipso diuino consilio in eius pectus infusa, & alta quadam ac regia mente digna videantur. Ecquis prudentior esse debet quàm qui maior est cæteris? Quis temperatior, quàm cui omnia liceant? Quis fortior quàm cuius causa sunt omnia conseruanda? Quem magis omnia genera virtutum deceant, quam qui omnes homines inspectores, animiq; sui testes habet, ita vt singula eius cum dicta, tum facta, in claro & illustri hominum conspectu tanquam in apertissima luce sint posita? Notum est illud

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior qui peccat, habetur.

Cum vero tria sint Bonorum genera, idest Animi, Corporis, Fortunæ, curandum est, vt sui tranquille & commode in illis degant. Hoc nimirum eueniet, si in primis fuerint amatores iustitiæ, ac temperantiæ, si nec cupidi, nec feroces, & si ab omni seditione abhorreant; licet hoc postremum nonnulli expedire arbitrentur, putantes vtile esse vt alantur discordiæ inter homines non approbatæ vitæ, quo his inuicem diffidentibus, boni quietius viuant. Sed mea sententia præstat eos vel ex vrbe pellere, vel procurare vt ad meliorem frugem redeant, cum & bonos tueri, & improbos corrigere ac emendare sit proprie sui muneris.

Nunquam etiam existimet illum sibi amicum esse qui semper nouos modos excogitat accumulandi opes per noua tributa & vectigalia, quibus populus opprimatur. Nam huiusmodi homines potius occultissimi & nocentissimi hostes iudicandi sunt. Qui vero libenter his aures præbent, putantq; sibi eos bene velle, sciant se longe decipi, & à probi Principis officio procul abesse. Huc enim potius omnes nerui intendendi, vt suis quàm minimum oneris imponatur.

Reditus autem atque opes ampliandi ratio hæc erit præcipua, si superflui sumptus, ociosa munia, & inutiles famuli amoueantur, bellorumq; occasiones vitentur, & ministrorum auaritia diraq; cupiditas frænetur, & si potius quod sibi obtigit Re

gnum bene regere, quàm illud per fas et nefas dilatare studuerit. Cupiditas enim & ambitio plerunque causa & origo existunt grauissimi alicuius damni atque periculi, & sæpius euersionis, quàm maioris incrementi. Quocirca multo prudentius aget, si, quod Regnum habet à suis maioribus relictum, vel suo marte comparatum, cum laude administret, quàm vt eius propagationem quærat. Nec enim id fieri potest absque maximis impensis, multaq; clade & sanguinis effusione, quæ sanè pluris constant, quàm non valet quicquid acquiritur etiam cum insigni & gloriosa victoria: cum contrà quiete & pacifice viuere, ac Regnum adeptum conseruare multo sit prestabilius. Verissimum est enim quod dicitur,

Nõ minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.
Casus inest illic, hic erit artis opus.

Ad hæc si noua subinde onera suorum humeris imponat, expiletq; plebem pecuniarum extorsione, haud mediocre odium in se concitabit, mentemq; omnino peruersam ac inexplebilem præ se feret. Sciat etiam detestandas esse illas diuitias, quæ veniant ex collectione eorum quæ exiguntur ab hominibus gementibus. Sordidum enim illud aurum censendum est quod gemitu & lacrymis extorquetur. Hinc olim Theophanes Condioni de regnandi ratione consultanti, admodum vtile ac fructuosum sibi fore dixit, si saltem singulis hebdomadis

domadis diem vnum constituisset, qua omnibus faceret audientiam, omnesq́; ad suum colloquium admitteret, cuiscunque status et conditionis forent, qui eum de rebus ad se pertinentibus alloqui vellent; vt pote de præfectorum erratis, de ministrorum auaritia, de aulicorum moribus, de potentum iniurijs illatis, de illorum extorsionibus, vel de periculis, quæ sibi suoq́; Regno impendeant. Nec etiam ab re fuerit, si præmia his proponantur, qui eum de re aliqua vel publica vel priuata commonefecerint.

Procurabit quoque, vt qua virtute ac probitate principem antecellere oportet, eadem vel saltem proxima sint eius familiares, & qui sibi sunt à consilijs, nec patiatur quempiam eorum aliunde quàm a se, dona sumere, & præsertim in his quæ ad Regni administrationem spectant, vt ab his qui officia & magistratus ambiunt vel alia eiusdem generis. Nam huiusmodi homines nunquam vtilia consulent, at quæ potius in gratiam elargientis & illius qui plus donauerit. Largitiones vero persæpe in causa sunt, vt inter amicos Principis, qui dona oblata susceperint, nascatur dissensio, aliudq́; ordinanti & consulenti opponatur, altero alterius ordini & legi contradicente: nec illis curæ est, quid Principi sit magis conducibile vel noxium, nec si etiam uniuersum Regnum interiret. Quare pro virili studeat eos habere

incorruptos, & ab omni genere largitionum abstinentes. Etsi autem eos pro fidelissimis habet, nihil tamen omnino sibi agendum statuat, nisi prius omni ratione rite animaduersa ipsemet cognouerit, quid potissimum fieri expediat.

Nec putet satis esse Magistratus per singulas Prouincias & loca constituisse, nisi eorum qui præsunt, conditionem probe norit, potissimaq́ ipsius cura sit, vt præponantur homines integræ uitæ ac publici commodi studiosi. Nam Princeps datur Reipublicæ vt ei sit qualis medicus ægroto. Sicut autem non omnes animæ partes eiusdem sunt uirtutis & officij, (quædam enim iubent, quædam obtemperant, & ex his quæ iubent, sunt nobiliores atque optimæ) sic et ipse summa populi pars eaq́ optima & præstantissima esse debet. At cum sibi reliquis partibus inferioribus imperandum sit, singula omnino priusquam euenerint, præuidenda sunt, vt ea rite geri, & ad prosperum atque optatum exitum perducantur.

Quoniam vero nihil huc vsque dictum est de Principis præsidio atque custodia circa sui corporis defensionem, nolim ob id existimet, sibi haud opus esse ordinaria militia cum equitatus tum peditatus contra hostiles insidias & arma externa, vnde sibi vis aliqua immineret. Etsi enim semper paci consulendum est, eaq́ bello præferenda, tamen interdum fit, vt ipse vltro petatur bello vel à vici-

nis,

nis, vel à remotioribus Regibus, & ob id paranda sint necessaria præsidia, quibus illata contumelia propellatur. Nouerit autem in primis, victoriam non in multitudine militum, sed in recta dimicandi ratione reiq; bellicæ disciplina consistere. Pro tranquilla igitur & pacifica sui Regni conseruatione perpetuò admonendus est, vt milites habeat peritos, maximeq; in re militari exercitatos. Nam si diligenter inspexerimus, proculdubio apparebit, Romanos nulla re alia vniuersum terrarum orbem sibi subiecisse, quàm continua quadam exercitatione armorumq; peritia. Nec mihi sanè ad hoc probandum innumera tum nostræ ætatis, tum superiorum temporum exempla deessent, quibus facile colligitur, multos Principes parua & exigua manu innumerabiles copias fudisse. Quid? Nonne paruæ illæ (si cum cæteris conferas) Romanorum Legiones Gallorum ingentem exercitum, breuiq; statura corporis, Germanorum proceritatem prostrarunt ac deuicerunt? Quis autem nescit, Hispanos haud numero duntaxat, sed etiam corporis viribus eis fuisse superiores? Hi tamen Romanorum uirtute ac peritia superati sunt, & in eorum potestatem redacti. Dolis & opulentia Carthaginiensibus Romani semper cedebant, & Græcis astu atque vafritie: sed contra hæc omnia illis profuit milites fortes ac strenuos longoq; rerum vsu exercitatos in promptu habuisse.

Hoc

Hoc itaque sibi sedulò agendum est, vt milites norint quæ arma gerenda sint, qua arte hostis inuadendus, & quicquid in bellis accidat, prospiciendum, nec tempus dimicandi expectandum. Nam bellandi peritia gignit audaciam, nec vllus timet agere quæ antea se probe didicisse confidit. Proinde multo melius ac felicius dimicat parua et exercitata manus, quàm magna, rudis, mortiq; semper proxima, multitudo. Sciat etiam et pro comperto habeat, prouidi ac experti Ducis virtutem semper supplere defectibus militum, si eos (vt dictũ est) diligenter exercuerit. Hinc illud vetus adagium, quo dici solet, magis formidolosum esse Ceruorum exercitum Duce Leone, quàm Leonum, Ceruo Duce. Nec sanè mirum. Siquidem totus belli successus & fortuna ex Ducis virtute ac prudentia pendet. Id autem verissimum esse, Numantini facile demonstrarunt. Quum enim eorum Dux militibus obijceret ignauiam et metum illorũ, quos antea sæpius in fugam adegerant, quidam eorum inquit, sunt quidem eadem pecora, sed sub alio pastore, innuens nõ militum virtutem, at Scipionem Imperatorem in causa extitisse, vt belli fortuna mutaretur, tametsi forent ijdem qui antea, milites.

Quod vero superius de Principe vt Principe dictum est, idem etiam de belli Duce intelligatur, id est, vt sciat initium sapientiæ omnisq; prosperi euentus ex Dei timore tanquam ex fonte pro-

ficiſci ac emanare. Nec enim dubium eſt quin ab illo victoria pendeat. Nec fruſtra dicitur, Per me Reges regnant, & Principes dominantur. Plena ſunt ſacrorum vatum Oracula, pleni Pſalmi Dauidici, proſperos pugnæ ſucceſſus diuinitus dari. Quàm præclarus ille Pſalmus, cuius initium, Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prœlium, & digitos meos ad bellum? Quàm itidem alterius, Dominus illuminatio mea & Salus mea, quem timebo? &c. Nimis certe mea excreſceret oratio, ſi ſacræ Scripturæ verbis hoc velim confirmare. Sunt etiam non vulgaria teſtimonia in Ethnicorũ ſcriptis, ex quibus eſt videre, quàm errauerint qui ſecus opinati ſint, & quàm ſemper miſerabiles extiterint. Eſt apud Sophoclem de Aiace, illum propterea punitum eſſe furore, quia cum pater Telamon abeunti dixiſſet, vt pugnaret quidem ſtrenue, ſed à Deo victoriam peteret, Aiax reſpondit, etiam ignauos adiutore Deo poſſe vincere, ſe vero vel ſine Deo. Qua quidem voce quid horribilius, & quid magis impium excogitari poteſt? Sciat igitur etiã ſi omnibus humanis præſidijs muniatur, tamen victoriam à Deo petendam & expectandam. Interim haud negligat ea ſummo ſtudio procurare, quæ ſibi ad bellum gerendum neceſſaria fore cognouerit. Quòd vero ad ſe attinet, omni ope nitatur ita ſe gerere, vt à ſuis atque etiam ab hoſte meri-
tò

tò existimetur. Sic enim fiet, vt eius virtute cognita & perspecta, qui sibi sunt infensi, amici reddantur, & plurimi de eius clementia & morum facilitate confisi, vltro nulliusq; impulsu armis positis illum vt victorem agnoscent. Porrò maxima causa victoriæ Scipionis quam ex Hispania & Africa retulit, ex vitæ sanctimonia prouenit, eaq; communi de ipso persuasione, quà putabatur ob inculpatos mores maximamq; & incredibilem in Iouem obseruantiam illi quàm maxime acceptus. Hac enim fama permoti exteri Populi & Reges illius amicitiam expetentes facile & se & sua omnia eius fidei committebant. Deum itaque in primis (vt dictum est) omni reuerentia & amore prosequatur, eiusq; gloriam rebus omnibus anteponat. Deinde sedulò studeat intelligere quæ sibi agenda sunt, sciatq; vecordia & inertia nihil esse in bello perniciosius.

Ceterum priusquam de bello inferendo quicquã cogitet, secum animo diligenter voluat, num illud honestum rectumq; sit nec ne, num iustum atque legitimum. Nihil enim sibi perinde vtile ac necessarium, quàm id antea peroptime cognouisse. Hinc enim fiet, vt ab iniusto & illegitimo bello sibi prorsus abstinendum putet, nihilq; nisi iustum & honestum sequetur. Traiani quidem vox omnino præclarissima fuit, & quæ in omnium Principum animis perpetuo insculpta & impressa esse debeat.

beat. Hic enim equitum Magistro gladium tradens, inquit. Hoc gladio pro me vtere, si iusta imperauero, si vero iniusta, contra me vtaris. Has duas itaque virtutes in primis colat, iustitiã & continentiam, quarum prior in hoc præcipue sita est, vt suum cuique reddatur. Altera, ne ferat extorsiones atque rapinas in eos qui sunt imbecillio ri potentia. Vbi enim plus valet vis, ibi ius magis vrgendum.

Præterea diligenter sibi prospiciendum, ne militum virtuti negentur præmia, ne'ue impune delinquatur. Cauendum etiam ne (vt dictum est) ab vllo largitionibus quantumuis amplissimis & maximis, corrumpatur, etiam si largitores nihil tum petierint. Hæ nanque sæpenumero vim mentibus inferunt, obcæcantq; mortalium animos. Nec minus allaborandum est, vt qui sibi militiæ honore ac dignitate sunt proximi, ab illis manus cõ tineant, si vel ab amicis vel ab hostibus offerantur, seuereq; puniat qui parere noluerint.

Iustitia quoq; in hostes certa quadam animi celsitudine obseruanda, vt hi facilius dedantur. Quanti autem id referat, Camilli exemplo facile conspicuum apparet. Hic enim cum Phaliscos ar ctissima obsidione premeret, & Ludi Magister nobiliores quosdam ex eorum liberis extra vrbis mœnia tanquam animi relaxandi gratia secum eductos, illi offerret, ac inde maximum beneficium

spera-

speraret, Camillus non modo illius perfidiam complexus est, at etiam brachijs illum deuinciri, moxq; verberibus cædi iussit, filiosq; ad parentes illico remittendos curauit. Qua sanè clementia & humanitate pellecti hostes, vltrò ac sponte se illi dediderunt, & quam ipse astu & fraude noluerat, hoc insigni facinore victoriam est adeptus. Cyri quoque clementia in Cræsum ab omnibus commendatur, eáq; non minus victori, quàm uicto vtilis fuit. Nam illi fuisset ex vniuersa Græcia ingens bellum conflatum, si quid in Cræsum crudelius consuluisset. Nec aliud Pyrrhum ex Italia recedere fecit, quàm singularis illa humanitas Fabritij, detecta proditione medici, qui eum veneno interimere cogitarat. Et Scipio Africanus maior cum in Hispania quandam venustissimam fœminam sibi oblatam, statim suo viro illæsam remisisset, effecit, vt vniuersa Hispania sibi amica & beneuola redderetur. Multa his consimilia recenseri possent. At quid opus est pluribus exemplis in re tam clara & manifesta? Et cui dubium est, quin plus valeat in bello humanitas, quàm sæuitià? continentia, quàm libido? beneficentia, quàm cupiditas, denique (vt vno verbo dicam) virtutes, quàm vitia?

Meminerit etiam promissi, fidemq; semel datam non modo suis militibus, at etiam hosti conseruandam putet. Hac enim amissa, perinde est, ac si omne decus militiæ neruumq; amitteret.

Exemplo

Exemplo est Marcus Attilius, de cuius constantia & animi magnitudine nulla vnquam ætas conticescet. Exemplo est etiam cuius paulo ante facta est mentio, is qui ab Africa deuicta conomen obtinuit. Hic enim plus laudis & gloriæ, plus etiam victoriarum adeptus est fidei conseruatione, quàm Hannibal sua calliditate atque perfidia. Quin potius hunc omnes vt fœdifragum execrantur, & illum vt vere generosum atque magnanimum summis laudibus in cœlum efferunt.

Caueat etiam ne sit nimius in colloquio præsertim de rebus inanibus. Ne conuiuijs, lusibus, mimis, voluptati, libidini, leuibusq; ac ridiculis & inanibus rebus dedatur. Hæc enim omnia suam illi amplitudinem & maiestatem diminuunt, ac etiam persæpe labefactant. Et sanè vt omnes curæ & cogitationes prouidi ac solertis agricolæ sitæ sunt in agricultura, boniq; ac periti naucleri in regenda naui, sic optimi Principis in iugi assiduaq; sui muneris ac impendentis oneris meditatione consistunt.

Nec mediocri cura illi allaborandum est, vt exercitus conseruetur sanus atque incolumis. Ex hac enim incuria & negligentia nonnunquam accidit, vt integri & maximi exercitus interierint. Quid uero aliud his superioribus annis florentissimas illas Gallorum copias, & vniuersum exercitum iam ferme victorem prope Neapolim deleuit?

Quocirca diligentiſſime procurabit, vt caſtra ponantur in ſalubribus locis, & vbi ſit copia bonarum aquarum, cœliq; temperies, vbi non ſint paludes, campi, colleſq; aridi & ab omni arborum umbra ſemoti.

Dabit etiam operam, vt tam peditatus, quàm equitatus æſtate habeat tentoria, vel aliqua tegumenta, quibus ab æſtu ſolis defendantur, ne illinc egreſſi, partim eius ardore, partim etiam itineris difficultate & labore aliqua lue atque contagio inficiantur.

Prouidebit etiam, vt ſi æſtate aliquò peruenien dum eſt, id fiat ſummo diluculo, et priuſquam ſolis calor impediat. Si vero hyeme niualiq; tempore ac etiam noctu id fieri oporteat, procuret in primis ne deſint ligna: nec enim vlli rei gerendæ aptus eſt miles qui frigore oppreſſus torpet.

Quicunque autem rei militaris præcepta tradiderunt, cenſent magis conducere ad robur corporis proſperamq; valetudinem, vt milites quoti die in aliquo exercitio contineantur, quàm ſi apud ſe medicos habuerint: ideoq; uolebant, vt pedites pluuiarum & niuium tempore in tentorijs, corpus exercerent. At quum aura eſt mitior, nunc in agris, nunc in fictis certaminibus, nunc baliſta, nunc arcu, nunc tormentorum emiſſione, nunc palæſtra, nunc alterius generis militaribus inſtrumentis. Equites uero cum in planitie, tum etiam

in ripis locisq́ angustioribus, & modo lãceis concurrerent, modo natatu transmitterent, & modo armati in equum transilirent, ac si hostem inuaderent, ne quicquam horum belli tempore inopinatum eis accideret. Qua quidem ex re plurimæ & maximæ vtilitates oriuntur. Primum enim huiusmodi exercitijs, militum corpora redduntur firmiora, & magis valentia. Secundo si certamen ineundũ erit, facilius victoriam sperabunt.

Verum si autumnali, vel æstiuo tempore exercitus cum aquarum contagio, tum fœditatis graueolentia in aliquo periculo propter aeris putrefactionem constitutus videbitur, vnde postea perniciosi ac letiferi morbi enascantur, statim inde ad alia loca transducatur, vbi aer sit salubrior.

Sedulò etiam incumbendum, vt militem sibi obsequentem habeat. Id autem assequetur, si eum habuerint milites pro strenuo valdeq́ perito rei militaris, & dignum qui cæteris imperet. Libenter enim illi obtemperant, quem & belli scientia vigere, & circa vniuersorum salutem cautum ac prouidum esse re ipsa didicerunt. At si nouerint se illius causa in manifesto aliquo & aperto discrimine futuros, nullis promissis, nullisq́ muneribus, licet amplissimis, ad parendum adduci possunt. Et quis unquam nisi insanæ mentis, ab eo munus accipiat, vnde sibi aliquod damnum peruenturum suspicetur? Nec sanè quicquam est quo militum animi fa

cilius alliciantur, ut præsto sint & dicto audientes, quàm si Ducem (ut dictum est) reliquis præstantiorem cognouerint. Id autem ut obtineat, nulla via commodior est, quàm ut plenam & exactam earum rerum notitiam calleat, in quibus velit excellere. Si quis enim cupit haberi peritus medicus, eques, vel musicus, qui reuera nihil minus sit, multa sibi erunt excogitanda, ut talis uideatur, qualis uideri optat. At si talis re ipsa fuerit, facillime quod uult, persuadebit. Seipsum itaque perpetuo in usu militari exerceat, ut quæ ratione & peritia cognoscuntur, probe intelligat. Ea uero sunt huiusmodi, uidelicet,

Aciem ad bellum disponere, hostem adoriri, retrocedere saluo milite, urbem inimicam inuadere, illam obsidere, & (quum est opus) defendere. Hæc autem & alia eiusdem generis, experientia, multa sua industria comparata, homines militiæ periti, quibuscum familiariter disserat, probati auctores qui de re bellica scripserunt, facilius magisq; speciatim ostendent, quàm ut ea nunc à me tam facile tamq; breui opusculo recenseri possint. Cæterum quæ neque militari prudentia, neque humano ingenio & solertia cognoscuntur, Deo ac singulari eius prouidentiæ relinquenda sunt.

Dictum est autem superius quanti momenti sit ut eum milites non modo metuant, sed etiam diligant. Hoc itaque sæpius inculcandum. Nec enim

illi quicquam fructuoſius. Ad hoc autem acquirendum non ſatis eſt (ut nonnulli opinantur) liberalitas. Nec enim fieri poteſt, ut tam multorum beneuolentia donis & muneribus comparetur. At (quod multo ſatius eſt, quàm omne genus beneficentiæ, quodq́; illi nullum incommodum afferet) ſi æquali iuſtitia utatur in omnes, ſi ſæpe cum eis aderit, ſi eos aliqua re feliciter geſta, laudauerit, ſi eos rebus non ita ex animi ſententia ſuccedentibus, bono fortiq́; animo eſſe iuſſerit, ſi quando æſtate quidpiam agendum, ſolis æſtum, labores, cæteraq́; incommoda & moleſtias primus feret, ſi brumæ tempore frigus cæteraq́; huiuſmodi, nec id clam & occulte, ſed aperte, omnibusq́; uidentibus. Si denique de illorum ſalute non minus quàm de ſua ſe laborare ac ſollicitum eſſe declarauerit. Hæc igitur omnia maxime conducunt, ut militum animos haud mediocri amore ſibi deuinciat. Hinc enim fit ut exiſtiment, nulla quidem ſe ad parendum cogi neceſſitate, at potius quadam heroica virtute atque auctoritate impelli.

Poſcit etiam ordo belli, ut maximo ſtudio & uigilantia procuret, ne deſit commeatus. Nam ſæpe fit, ut exercitus magis annonæ caritate, quàm hoſte abſumatur, magisq́; fames noceat, quàm enſis. Proinde in quouis bellico apparatu optime conſultum erit commeatum prouidere, illoq́; hoſtem intercludere. Hoc autem commode agetur, ſi ante ſu-

sceptum bellum prudenter atque opportune de his omnibus quæ ad illud conficiendum pertineant, consuluerit, præsertim de sumptibus faciendis, deq; rebus maxime necessarijs, vt fenum, frumentum, ligna in hyeme, & aliqua huius generis. De his itaque opportuna & debita fiat prouisio, & maior etiam quàm oporteat, cum sæpe accidat, vt bellum opinione longius protrahatur.

Si vero per amicorum agros, ac eorum qui sibi fœdere iunguntur, transeundum erit, nihil suos diripere nihilq; prædari patiatur. Ad hæc si quando in hostium regione sibi ad tempus commorandum erit, non sinat milites omnia moliri & deuastare, sed ea solummodo accipere quæ sint parui momenti, quæq; sibi nulli vsui futura existimet, at quibus aliquando indigeret, ea omnia illæsa & intacta conseruari iubeat.

Videndum etiam atque etiam vt loca, situs & regiones in quibus bella gerenda sunt, percognitas habeat, pleneq; descriptas, ita vt eorum interualla non modo sciat numero milliarium, sed etiam viarum qualitates, conualles, et traiectus montium, fluminum, paludum, stagnorum, & lacuum quàm plenissime cognoscat.

Permagni quoque refert, vniuersa illa loca vbi prœlium ineundum est, habere depicta situsq; ac vias, & locorum distantias designatas, vt non consilio duntaxat & ratione, verum & oculorum

sensu itineris etiam negotiorum ducem se reliquis præbeat.

Præterea ex his qui sunt periti viarum, singulatim omnia exploranda sunt, & à pluribus ueritas cognoscenda. In primis etiam cauendum ne miles norit, quò, aut per quæ loca eundum sit. Tutissimum est enim ut quum belli alea tentanda est, prorsus ignoret, quid agendum, sed tantummodo ad omnia sit paratus. Idcirco enim ueteres in legionibus Minotaurum in insignibus circunferebant, ut quẽadmodum ille in intimo ac secretissimo labirintho inclusus tenebatur, ita Ducis consilium semper arcanum & occultum esse debere cognoscerent. Hinc Metellus cognomento Pius rogatus à militibus in Hispania quid proximo die agendum esset, inquit, si hoc mea uestis resciret, eam protinus comburerem. Et Claudius Nero cum Asdrubalem adoriri uellet, priusquam cum Hannibale coniũgeretur, tacitus & noctu discessit ex agmine cum decem millibus eorum qui potiores erant, Legatis iubens easdem stationes tuerentur ad suum usque reditum, & ipse in umbria coniũctus cum Liuio Salinatore suo collega, qui contra Asdrubalem dimicabat, rupit atque occidit Asdrubalem, nec ab hoste uel à suis hoc rescitum est antequam ad eos redijsset ipsemet quouis nuncio uelocior, & Hannibali caput sui fratris ante pedes proijci curasset. Quàm itaque ualeant secreta consilia et occultæ Principum consul-

tationes ex hoc tam insigni opere, ac etiam ex Metelli uiri clarissimi uerbis apertissime intelligitur. Sciendum est insuper, illum citra magnam bellicæ inscitiæ notam excusari nõ posse, qui aliqua hostili calliditate circumuentus capitur: quin huiusmodi erroribus persæpe fit, vt vita ipsa & quicquid egregie ac præclare antea factum est, vnius horæ spatio quàm facillime amittatur. Quocirca si quis locus ab eo expugnandus est, uel hostium consilia detegenda, vel uidendum, ubinam gentium sint, & qua parte sibi struantur insidiæ, præmittat illas legiones equitatus quas necessarias iudicabit, quem sequatur bonus numerus peditatus, & quem postea totum agmen passim comitetur, & ordinatim, vt si ad aliquem locum sibi commodum & opportunum oppugnandum iuerit, nihil eum remoretur quò minus expugnet, eoq; integre potiatur. At si forte in hostiles insidias inciderit, uel in aliquam partem inimici exercitus qui eodem quò & ipse, contendat, semper superior euadet. Nam hostem suo equitatu adoriens, deinde auctus peditatu etiam si ille non par foret ad integram uictoriam potiundã, tamen suis copiis hostium insidias inanes reddet, fietq; vt nunquã ex improuiso inuadatur. Quanuis etiam tota hostilis manus ibi esset, nunquam tamen aperto marte dimicabit, quin superior sit futurus. Si autem uniuersum exercitum habuerit in acie dispositum aptumq; ad prœlium; & milites

ad

ad hoc armatos, quiq; iudicent pugnandum esse, proculdubio uictoriam obtinebit. Atqui hostibus longe secus eueniet. Hi nanque haud rati prœlium tentandum, sed duntaxat cum paucis confligendum, non erunt animis, ordine armisq; parati ad bellum, putantes illos facile uinci posse.

Moturus castra, oras & locorum situs diligenter exploret, quo modo sibi hostibus aduentantibus, colles, montes, iuga, planities, fluuij, lacus, & paludes usui uel nocumento sint, norit etiam fere unoquoque milliari mutari locorum naturam & conditionem, & proinde sedulò uidendum esse, ubi'nam equites ac pedites commodius tueatur, & unde hosti maius damnum inferat, & suis grauius periculum impendeat, semperq; hostium consilia præripienda, ne quid accidat imparatum, cuiusq; meritò pœniteat & dicat non putaram, quæ sanè uox indigna est homine sapienti, & qui suis rebus optime prospectum uelit.

Militum quoque ac equitum præfectos tentoria munire faciat uel fossis, uel aggeribus, uel alia ratione quæ aptior uidebitur, adeò vt ab hoste nihil omnino periculi metuendum sit. Id autem ob tria summopere conducet. Primum quia si repentino aliquo aduentu hostium nocturno tempore inuadantur, quàm minimo damno afficientur, ob loci uicinitatem, tutiq; ac securi erunt ab eius insidijs. Secũdo quia multo melius cognoscent, quum quispiam

aliquò mittendus est, quibus armis muniatur. Postremo si ab hoste inuadantur, ipsiq; ita edocti & assueti fuerint, illius impetum perfacile sustinebunt donec succurratur, uitentq; periculum.

Ut vero subitæ illæ hostium excursiones, quæ interdum accidunt exercitu progrediente, nihil obsint, præmittendi sunt aliqui ex his quos habet fideliores magisq; peritos, cum equis leuioris armaturæ qui singula loca per quæ ueniendum sit, vndique circunspiciant. Hi vero noctu potius quàm interdiu mittantur, ne forte videantur, vel capiantur ab hostilibus. Nec enim raro fit, vt cuius explorator ab aduersarijs capitur, eius etiam consilia detegantur & patefiant. Et si uiæ angustæ difficilesq; sint, sed tamen tutæ & absq; periculo, præstat ire per illas, etiam cum labore, & longiore itinere, quàm plano & commodo, sed tamen periculoso.

Cognoscenda est etiam inimicorum natura & consuetudo, num die, vel noctu, siue in lucis crepusculo, aut somni tempore hostem iam lassum, & defatigatum aggredi soleat, illudq; declinet quod iuxta morem illos facturos putet.

Cauendum quoque, ne hyeme implicetur exercitus locis palustribus, vnde sibi egredi absque magna difficultate & periculo non detur, ne'ue magno aliquo torrente, vel asperiori via, vbi prius circumsidatur miles quàm ad loca destinata peruenerit, vel impar viribus cogatur etiam inuitus, confligere

fligere, belliq; extrema experiri. Quemadmodum ista euitare maximi erit commodi, sic etiã si hostium imperitia & hoscitantia vincendi occasionem dederit, diligenter videat ne sua culpa prætermittatur, quo minus eam arripuerit, quin potius perdiligenter inuestiget, amplisq; promissis transfugas & qui hostilia consilia patefaciant, ad se inuitet, eosq; maximis muneribus donatos à se dimittat, singulis etiam temporibus inducat militum animos vt sint vigilantes & prompti ad arma capienda, semperq; ad defensionem vel offensam parati. Hoc autem Istricis fabula festiuiter admodum & vere innuitur. Aiunt enim Lupum forte hoc animal inuentum adoriri voluisse, nec tamen id ausum esse ob multas quas super dorsum gestabat sagittas, ideoq; illi suadere incœpisse, ne tantam telorum multitudinem secum gereret, cum etiam sagittarij solummodo belli tempore sagittis armarentur. At illa, mihi semper (inquit) persuadere debeo instare belli tempus, quo mihi ab hoste caueam, sicq; armis retentis, Lupi malitiam & calliditatem elusit.

Nec sanè mediocris cura est adhibenda in traiectu fluminum. Nam si quod uiolentum nimis vel profundum occurrerit, periculum est, ne munitiones, commeatum, currus, ipsosq; itineris comites rapiat & submergat. Proinde vado prius explorato aliquot equites leuioris militiæ ordinentur debito

debito quodam interuallo atque distantia, & separato ac distincto quodam ordine inter se, ut pedites, munitiones, & currus medium amnem traijciant. Si uero aquæ ita profundæ sint, ut nec pedites nec equites citra periculum traijciant, amnisq; per planitiem decurrerit, in multas fossas deriuandus est, sicq; in varias partes diuisus facile traijcietur. Consimili quoque ratione illæ vrbes quæ ob sui profunditatem, videntur inexpugnabiles, à parte fluminis interioris capi ac expugnari poterunt. Et hoc pacto Cyrus olim Babyloniam expugnauit, cũ Euphrate in multas partes dissecto, aditum sibi fecit in vrbem. Cæterum si quis amnis erit altior, nec huiusmodi deriuatio fieri poterit, tunc faciendi sunt pontes ex paruis nauiculis quæ tabulata constricta superius habeant: de cuius quidem magisterij scientia, quoniam nostris temporibus vel vnicuique mediocriter perito cogita est, nihil à me in præsentia dicetur.

Quum vero ambo exercitus paruo interuallo vtrinque distant, videndum est an dimicandum sit nec ne. Fit enim aliquando, vt penitus à prœlio abstinendum sit, aliquando dimicandum. Sed tamen omnia prius tentanda sunt, priusquam cum hoste manus conseratur, nisi aliqua certa & indubitata spes victoriæ affulgeat. Quicunque autem in re militari pollet, nunquam aperto marte in certamen veniet, in quo insit commune aliquod ac eui-

dens

dens periculum, at semper Fabium Maximum imitatus cunctatione bellum differet, vel aget insidijs, aut parua aliqua conflictatione, vt (quoad eius fieri poterit) suos conseruet, hostibusq; vel occisis vel perterritis, fiat superior. In hoc autem varia & multa consideranda sunt, vt recte perficiantur. Prima vero ars ingeniumq; præfecti exercitus in hoc potissimum versatur, vt ex toto militum numero deligat quosdam ex peritioribus quos apud se habeat, et sæpe cum his communicet de qualitate ac numero suarum copiarum, & hostium, idq; faciat omni suorum assentatione remota. Nam hæc magis obest, quàm centum armati hostes. Ex illis ergo intelligat vter eorum copijs præstet, & qui nam sint magis armati fortioresq; ad ferendum & constantiores. Videndum est etiam vter eorum equitatu ac peditatu excellat. Situs præterea locorum ubi certandum est, cognoscendi, num sibi vel hosti sint futuri aptiores, & quis eorum equitatu in planitie prœlium inire tutius possit. Si peditatu, loca angusta eligenda sunt, & quæ fossis, uallis, paludibus & interdum montibus implicentur. Mature quoque ac prouide considerandum, an expediat cunctari certamenq; differre, uel protinus dimicare. Fit enim haud raro, vt belli prorogatione debilitetur exercitus, vel propter annonæ penuriam, vel propter eorum qui præficiuntur, auaritiam, quum magis priuati quàm publici commodi ratio habetur.

tur. Nonnunquam etiam accidit, ut miles nihil præclari agens, desperatione illinc discedat, vel nimio labore defatigatus, aut pertæsus militiæ, castra deserat, quidam fiunt proditores, vel transfugæ. Siquidem in rebus aduersis inanior est fides, & qui fuerat prius fortis ac strenuus, paulatim frangitur.

Magni quoque refert, cognoscere quali natura sint hostes, ministri, ac reliqui minoris auctoritatis, id est an temerarij sit vel cauti, an timidi uel animosi, an temere atque incõsiderate dimicẽt usu magis quàm ratione adducti, uel militari peritia regantur, quod genus militum illis obijciatur, strenuum uel imbelle. Contra, quos ipse apud se milites habeat, qua fide sint, quo'ue robore, quomodo sint in hostes affecti, & utra pars feliciorem exitum non dubijs coniecturis queat sibi polliceri. Nam his rebus diligenti animaduersione circũspectis, omnia multo meliori ordine succedent.

Militibus, quos diutini belli iam cœpit satietas, animum viresq; adiunget cohortatione, ac exemplis eorum qui se præclare ac strenue gerentes, maximas aliquando uictorias reportarunt. Si ostenderit, se nihil prorsus metuere, & si qua occasione prærepta aliquid fortiter & cum laude gesserit. Si hostibus, fortuna immutata, quidpiam sinistri euenire incœperit, uel si minoribus præsidijs armentur.

Cauendum est etiam ne unquam exercitum diffiden-

fidentem de uictoria, pugnamq; detrectrantem in aciem educat ad prœlium. Ipsemet sæpius tentabit qua'nam arte ac bellandi peritia sui ualeãt, quæ sint illorum uires, quomodo inuicem cohæreant. Si tubarum clangore præsto sint, si obsequentes, si signorum indicijs moueantur. Si quid uero minus militariter egerint, admonendi sunt eorum in quibus errauerint.

Quisquis ergo futurus est Imperator exercitus diligẽtissime procuret, vt sit summa uigilãtia, sobrietate, prudentia, vtq; in militaribus controuersiis incorruptus iudex, ac vtriusque partis rationes æquis auribus audiat, vt singula maturo consilio ponderet, atque (vt dictum est) suas & hostium vires probe cognoscat, si longo interuallo se superiorem viderit, strenue & animose illum adoriatur. Si autem inferior sit, caueat, ne se in discrimen conyciat imprudens, at commodiorem occasionem præstoletur. Nec enim raro compertum est, vt pauci numero & viribus impares hostem inopinato adorti, vel interdum ex insidys, maxima sint potiti victoria. Sin autem euenerit, vt omnino dimicandum sit, priusquam id fiat, sunt rogandi milites, vt libere proferant quæ sit eorum de bello ineundo sententia. Id autem facile apparebit ex illorum vultu, verbis & motibus. Nec si tirones ac rudes viderit bellum cupere, sibi speret victoriam; (Notum est enim dulce bellum inexpertis.) at si veteranos

ranos & militiæ peritos bene animatos alacresq́; ad pugnam, lætus ac intrepidus hostem aggrediatur. Contrà, si eos metuere, ac sibi de prospero successu diffidere, sciat bellum prorogandum.

Maximi quoque momenti fuerit, vt militum animi gloriæ laude accendantur, eisq́; proponatur, quàm sit iusta & legitima causa suscepti certaminis, quàm sint abiecti ac imperiti hostes, quibus cū dimicandum sit, quàm inglorij & impotentes, quàm sæpe vel à se, vel ab alijs deuicti, quàm iniuste ipsi dimicent, ac præter omnem æquitatem. Nec enim frustra dicitur,

Frangit & attollit vires in milite causa,
Quæ nisi iusta subest, excutit arma pudor.

Quum vero acies disponēda est, tria sunt à se potissimum consideranda, Sol, Ventus, Puluis, Etenim si solares radij militum oculos ferierint, haud dubie impediuntur quò minus hostem cernant. Ventus autem perflans in faciem, valde obest cum militibus, tum eorum armis. Fit enim ob huiusmodi impedimentum, vt neque celeri atque audaci impetu hostem inuadant, neque armis ita commode vtantur. Puluis autem solo excussus & à fronte veniens, oculorum aciem hebetat. Proinde sit maxime sollicitus de his quæ accidere soleant, diligenterq́; caueat, ne quicquam horum sibi obsit, aciemq́; ita ordinet ac disponat, vt hæc omnia potius à tergo sibi sint, quàm à fronte, hæcq́; obstacula

la

la hostibus relinquantur.

Si autem cum prosperiori fortuna dimicauerit, hostemq; fugæ intentum viderit, ne præcludat illi viam, vnde nequeat egredi, nam sæpe fit, vt loco inclusis crescat audacia, omniq; spe adempta, sumat arma timor, & libenter ac intrepide cum hoste is mori paretur, qui sciat omnino sibi moriẽdum esse. Prudenter itaque Scipio dixerat non esse præcludendas vias per quas hosti fuga pateret. Nec enim raro euenit, vt inter fugiendum plurimi trucidentur. Cæsar cum Germanos inclusos validius solito pugnare animaduerteret, uiam fugæ aperuit, quos deinde insecutus, uicit & profligauit. Quid Themistocles? Nonne is quum deuicto Xerse, milites pontem disiicere uellent, id facere prohibuit, ostendens utilius fore, si e Græcia pelleretur, quàm eum desperatione adigere ad pugnandum, adiiciens, uel aureum pontem hosti faciendum, vt per eum aufugeret. In ipsa uero fuga quo maior est exercitus, eo facilius multitudo uincitur. At qui includuntur, & pauci sunt numero uiribusq; imbecilles, tamen in hoc ipso sunt pares hostibus, quòd penitus desperantes, norunt nihil aliud sibi reliquum esse, fiuntq; audaciores magisq; inuicti ac intrepidi ad pugnam. Nec enim temere dicitur.

Vna salus uictis nullam sperare salutem.

Quando etiam necessitate id exigente, castra mutauerit, summa ope ac studio nitatur, vt id fiat

saluo

ſaluo milite. Nec enim aliunde maius periculum imminet. Siquidem is qui primus ante bellum inchoatum loci mutatione diſceſſum parat, ſuis tollit fiduciam, & hoſtibus addit uires ac bellandi cupidinem. Quocirca neceſſe eſt vt ſui primum norint, non propterea diſcedi, vt bellum detrectetur, ſed vt potius arte quadam deducatur ad aliquem locũ opportuniorem, unde hoſtis ad prœlium inuitetur, quò facilior ſit uictoria, uel vt inſequentibus aduerſarijs, commodius res inſidijs agatur. Nec enim fieri poteſt, quin fugæ ſint proximi, qui Ducem de uictoria diffidentẽ uideant.

Opus eſt inſuper vt quàm diligentiſſime caueat, ne, ipſo de loci mutatione cogitante, hoſti ſua conſilia innoteſcant. Hinc enim ſibi grauiſſimum periculum immineret. Multi ex veteribus qui militiæ præficiebantur, diſceſſuri, equitatum præmittebãt, ne vaga multitudo peditatus ab hoſtilibus inſidijs obſeruaretur, & pedite ad tuta perducto, equitem reuocabant, ſecurioribus locis inueſtigatis, noctuq; taciti cum exercitu abibant, ne hoſtibus aduentante luce ac eorum diſceſſu cognito, facultas daretur eos qui præceſſerant, retardandi, uel nocendi; aut equites leuioris armaturæ ad occupandos colles & loca tutiora præmittebant, à quibus eueſtigio totus reuocabatur exercitus. Hæc multaq; alia huius generis faciebant diſceſſuri. Nihil enim periculoſius eſt, quàm copias temere loco dimouere.

Nimiæ

Nimia quoque sui confidentia secum ingens aliquando periculum trahit. Nam sæpenumero fit, vt euntes pro commeatu, vel longo itinere defatigati, vel qui ociosi ac securi se in tabernaculis continent, aut qui circa equos occupantur, ex improuiso inuadantur & necentur. Maxima igitur vigilantia semper cauendum est, atque etiam occasiones præuidendæ, ne quid huiusmodi eueniat. Nisi enim hoc diligentissime prospiciatur, nihil omnino vel rei bellicæ peritia, vel etiam validissimæ ac innumerabiles copiæ iuuabunt. Fit præterea vt qui succumbit in bello, etiam si ars & ingenium hic multum valeant, culpam possit reijcere in fortunam aduersam. cæterum qui ab huiusmodi damno & insidijs non cauerit, neminem præter seipsum incuset, sibiq; soli totum infortunium ascribat, cum illud præmissis exploratoribus, facile vitasset.

Solent etiam hostiles insidiæ parari quum pauci equites præmittũtur in eos qui ex pugna recesserint, & ex altera parte maior numerus mittitur. Nec non cum equites ante hostem excurrentes, leuiter dimicant, cumq; ex illorum conspectu subducuntur ac si metuerent fugamq; simularent. Tunc enim se omnibus insidijs ac periculis ereptos putantes, pergunt qua inceperant, & statim vniuersa illa multitudo quæ per loca occultiora tendebat, superueniens, maximo impetu eos inuadit opprimitq; incautos. Qui ergo præest militiæ, nunquam patia-

tur quenquam eorum uel latum quidem unguem discedere à cæteris, etiam si nihil periculi ab hoste metueret, eiusq; insidias tunc vere contemnendas putet, quum vel omnia tuta timens, à nemine inopinatò circumueniri posse sua prouidentia et virtute cognouerit.

Hæc habui, Serenissima Regina, quæ mihi in præsentia de Optimo Principe scribenda statuerem. Tu uero hæc inspiciens, nihil nouum aut incognitum (scio) inuenies, at eximias tantum vereq; Regias tuas virtutes, tanquam in lucidissimo speculo, contemplaberis. Hinc etiam fiet, vt singuli Principes ac Reges, ad quorum manus hæc scripta peruenient, perfacile intelligant, quem Ducem ac Regem in optima operandi ratione potissimum sequi & imitari debeant.

PETRI BIZZARI
DE BELLO ET PACE, LIBER.

AD MARIAM SERENISSIMAM Scotiæ Reginam.



VENETIIS, M D LXV.



AD MARIAM SERENISSIMAM SCOTIAE REGINAM.



QVAM ſit uetus res odium atq; diſ-ſenſio, uel ex Abelis interitu per-facile cognoſci poteſt. Nec enim ille innocentiſsimus ab impio fra-tre fuiſſet interemptus, niſi prius odium in-terceſsiſſet. Ex hoc itaque prima innocentis ſanguinis effuſio ſecuta eſt, & inde poſtea tan quam ex principio ac ſeminario, reliqua ho-micidia, bella, & ſtrages in orbem ad hæc uſ-que tempora deriuarunt. Quocirca ut anti-quiſsima res odium eſt, ita etiam ſatis cogni-tum, quot ſecum miſerias & calamitates ad-ducat. Vt uero ex hominum animis uel radi-citus euelleretur, non defuere omnibus fere ætatibus uiri ſapientiſsimi, qui quot mala ſe-cum afferat, oſtendentes, cum priuatim, tum publice, ac eos in primis qui reliquis præfici-

untur, ad mutuam pacem & beneuolentiã co hortarentur. Nec id ſolum coram efficere ſtuduerunt, ſed etiam ſcriptis longe diſertiſsimis quæ illorum eſſent rationes, apertiſsime declararunt. Quid igitur opus eſt (inquiet aliquis) nunc argumentum ſuſcipere à pluribus antea ſuſceptum, & de quo tam multi, multa dixere, ac literis mandarunt? Fateor equidem, nihil prorſus à me hic dici, quod etiam non ab aliis, & prudenter, & ornate hactenus dictum ſit. At quid oberit hoc ſemper (licet aliis uerbis aliaq; dicendi ratione) inculcatum Chriſtianis Principibus? Et quid illis obſecro æque neceſſarium eſt atque aſsidua harum rerum recordatio, ac mutuus animorum conſenſus? Viderunt ſuperiora ſæcula, & noſtra etiam ætas, maximo ſuo malo experitur, quot malorum genera ex bellandi cupidine prouenerint. Videt nunc eadem, & non ſine maximis incommodis ſentit, quot bona ex conciliata Principum concordia proficiſcantur. Vt uero hæc diuturnior ſit, & in eorum animis altius radices figat, haud abs re uidetur, idem argumentum ſubinde proponi, ad quod Principes tanquam ad ſcopum, ſuas cogitationes actionesq; dirigant & informēt.

Hic itaque de Bello & Pace libellus etſi nihil noui afferet, erit ſaltem loco Epitomes illorum

lorum

lorum, quæ ab aliis diuersis in locis tradita, fusius copiosiusq; differũtur, ut à quouis Enchiridij uice gestari, & in eo, tanquam in speculo, utriusq; fructus animaduerti posit. Id uero (Serenissima Regina) quicquid tandem sit, iure tibi dicatum esse conuenit. Nec enim decet, ut quem antea sub tuo nomine, à me tibi exhibitum, inspicere, & (quæ tua fuit humanitas) perlegere dignata es, nũc ille sub alterius titulo in lucem edatur. Nec sanè citra insignem ingrati ac immemoris animi notam id à me fieret. Cæterum haud sum tam beneficiorum immemor, ut sim oblitus Regiam tuam in me beneficẽtiam, nec etiam naturæ tã ingratæ, ut eam ullo unquam tempore queam aut uelim dissimulare. Quinetiam non possum non perpetuo recordari, quã humaniter isthic me tua Regia Maiestas exceperit, quàm mitibus uerbis allocuta sit, quàm benigne denique ac peramanter dimiserit. Est adhuc apud me torques aureus, quo me donauit tua Regalis munificentia, eritq; semper inter res mihi cariores, instar pretiosissimi thesauri, quem quidem ut semper mecum circumfero, ita etiam semper admoneor officij mei erga tuam Regiam Maiestatem, eiusq; Serenissimum fratrem Iacobum Stuardum, de quo ut non possum nõ semper quàm

 hono-

honorificentiſsime loqui, ſic eius humanitati me plurimum debere ingenue fateor.

Nunc mihi aliquid de tuis præſtantiſsimis diuiniſsimisq; laudibus dicendũ foret, ſi uel præſentis operis breuitas pateretur, uel in me huiuſmodi eſſet dicẽdi copia, ut eas pro dignitate uerbis conſequerer. At cum utroque impediar, eas prudens ſciensq; dicere omittam. Hoc unum tamen haud ſilentio inuoluam: Cum tria ſint bonorum genera uidelicet animi, corporis, & fortunæ, in illis duobus ita mirabiliter excellis, ut ad eas celebrandas, uix Demoſthenis eloquentia ſufficeret. In poſtremis, paſſa es fortunæ haud exiguam commutationem, quæ te uiro, Rege potentiſsimo, eoq; in uiridi ac florenti ætate, orbauit. Quæ ſanè iactura tibi fuit ut omnino maxima ita & incredibilis. Hãc nihilominus, ipſa tam forti ac excelſo animo tuliſti, ut nemo ſit qui tuam ſingularem conſtantiam & animi ſapientiam non ſit maximopere admiratus. Reliquit tamen Deus auiti paterniq; Regni poſſeſsionem, ut aliquod eſſet leuamen acerbioris fati. Hoc autem ſub tuis auſpiciis ac ſapientiſsimo regimine tam feliciter adminiſtratur, ut neque noſtra, neque patrum memoria, fuerit unquam felicius gubernatum. Hinc ergo fit, ut omnes iſthic te meritò ſuſpician-

ciant & uenerentur, teq́; diuinitus ac e cœlo miſſam fateantur, & non ſecus ac cœleſte numen & clariſsimum iubar omnium uirtutum admirentur. Habes apud te prudentiſsimos & ſapientiſsimos conſiliarios, qui tibi quæ ſunt optima, ſine ullo metu ac ſimulatione proponunt. Tu uero ut eorum optima & fidelißsima conſilia ſequare, nulla cohortatione opus habes. Hi ſemper tibi adſunt, nihilq́; his inconſultis, tibi agendum ſtatuis. Cum autem & ipſa ſingulari iudicio & conſilio polleas, facillime quæ agenda, & quæ nō agenda, uides. Verum inter omnes tuas excellentiſsimas uirtutes, quibus in tui Regni adminiſtratione meritò commendaris, hæc eſt una ex præcipuis, quòd nulla diſsidia pateris, nullasq́; diſcordias uel religionis cauſa uel politica exoriri, quæ tui populi tranquillitatem impediant. Externum, ſiue ciuile bellum, ut rem noxiam & perniciofiſsimam, execraris, nihilq́; ſtudoſius procuras, quàm ut finitima Regna & Regni tui primates, ciues, plebsq́; uniuerſa intelligant, te pacis longe amantiſſimam eſſe. Hinc fit, ut cum illis mutuam caritatem conſerues, & ab his omnibus, omni amore ac obſeruantia colare, quæq́; ipſa imperes, obedienter ac uoluntate propenſiſsima exequantur. Intelligis nimirum

rum

rum quàm præſtans bonum ſit pax, quàm pretioſum, gratum, dulce, iucundum, exoptabile. Per hanc uides omnia mala expelli, & hominum uitam, quæ alioqui miſerrima foret, quàm feliciſsimam reddi. Per hanc, ſecuritatem, rerumq́; abundantiam afferri. Per hanc, bonas artes, bonosq́; mores redire. Per hanc deniq; iuſtitiam, leges, libertatéq́; reſtitui. Hæc omnia nunc Dei benignitate in tuo nobiliſsimo Regno ſub tua gubernatione cernuntur. Faxit uero Deus pro ſua bonitate atque clementia, ut hic ſtatus quàm diutiſsime incolumis permaneat, tibiq́; magis magisq́; gratuleris, quòd talibus uiris imperare, & illi ſibi, quòd tali Reginæ obedire ac obtemperare contigerit. Venetijs.

Ad

Ad eandem.

VT maris nemo liquidas arenas,
Nec poteſt unquam eloquio referre
Quot videt Stellas radijs micare
Nocte ſerena:
Sic tuas nemo celebrare laudes
Parteq; ex vlla numerare, quanuis
Æquet immenſum veteres, eosq;
Vincat in arte.
Nanque ſi forma & niuei decora
Gratia vultus tibi comparata
Sit venus, Cypros tua iure maior
Gloria dicet.
Si Iouis Sacro generata ſummi
Vertice, & Clio ac reliquæ ſorores,
Ingeni palmam tibi quæuis harum
Porriget vltro.
Si pudici pectoris atque caſti
Corporis laus, inferior Diana,
Quæq; Romanæ ſpeculum pudoris
Extitit vrbi.
Si decus clarum generis vetuſti
Regiæ ſtirpis, monumenta Regum
Unde deſcendis, memorare quis'nam
Poſſit ab ortu?
Bella quis geſta, & varios triumphos

Quos

Quos domum insignes retulere quondam
Hoste deuicto meminisse, ne dum ex-
tollere lingua?
Laudibus magnis meritisq; Homere
Vix fores par, vel tua Mantuane
Musa, sic tantis micat hæc trophæis
Alma Propago.
Ergo cur tantum pelagus carina
Ipse tam parua ingrediar, sine vllis
Funibus, malo, socijs, nec vllo
Remige nixus?
Cur'ue Phætontis miseræ ruinæ,
Siue qui pennis nimium paternis
Fidit, oblitus, mihi postulem quod
Fata negarunt?
Præstat hæc ergo vt tacitus relinquam,
Quodq; non possum calamo, nec ore,
Mente constanti venerer colamq;
Pectore numen.
Interim vt viuas Pylij præcabor,
Hosq; det claros tibi Phœbus annos,
Ac sine vlla nube, nihilq; mæsti
Afferat unquam.
Vtq; felici populum Britannum
Quem Dei summi pia cura per te
Vult regi, sceptro auspicioq; semper
Læta gubernes.
Vt fidem, pacem, veteresq; mores

Quæq; Saturno dominante vidit
Orbis, hæc tuæ videant redire
Sæcula gentes.
Deniq; vt nubas iterum fideli
Coniugi, & digno meritis, tuoq;
Sanguine, ac fœcunda parens vocere
Omine fausto.



PETRI BIZZARI
DE BELLO ET PACE, LIBER.





I res à nostra memoria propter vetustatem remotas ex literarum monumentis repetamus, eaq; tempora, quibus in agris homines bestiarum more vagabantur, & sibi victu ferino vitam propagabant, videbimus necessario euenisse, vt primum illud Regnum, siue Respublica inter eos constituta, initium vel à pluribus, vel ab uno solo habuerit: si ab uno, illum ualde insignem, summaq;, ac perspicaci quadam ratione præditum omnino extitisse putandum est, qui per se sapiens, ac prudens citra aliorum præcepta tam commode sciuerit vti iustitia, fortitudine, ac temperantia, vt reliqui omnes incredibili quadam eius præstantiæ, ac uirtutis reuerentia commoti, se ultro illius imperio sub-

submitteret. At si fortasse ad multos huius tã excellentis boni causa referenda est, verisimile est hos etiam fuisse sapientes homines, ac sublimi quodam ingenio, qui honestatis, & concordiæ semina in ciuium animos tanta cum dexteritate inseruerunt. Etenim si alicuius Reipublicæ vel Regni auctoribus prius de legibus inueniendis, quàm de mœnibus cogitandum erat, quomodo unquam sine vnanimi ciuium consensu legum fundamenta iacere potuissent? & quî unquam est credibile, quòd infinita hominum multitudo rudis, & inculta, omnisq; ciuilitatis expers tam facile, tamq; etiam libenter æquitatis iugum admisisset, nisi prius efficax illud rationis lumen, inscitiæ, & cupiditatis tenebras ex eorum oculis expulisset? Cum itaque publicæ vtilitatis amatores cognoscerent pro amplificatione, & conseruatione cuiusuis Regni & Reipublicæ, nihil esse potentius, maiorisq; momenti, quàm mutuum animorum consensum, atque concordiam, semper omni cura, & diligentia studuerunt ciuilium dissensionum radices euellere, inq; aliorum animis pacem atque amorem inserere, unde sciebant hominum quietem, salutem, ac felicitatem proficisci. Et Menenius Agrippa vir sagax, & prudens, qui cum videret plebem Romanam, in contemptum senatorum, Auentinum montem occupasse, argutissimo apologo conspirationis membrorum in corpus illi clarissime ostendit, vniuer-

sam

ſam fortunam, quietem, & ſalutem vrbis in ſola concordia, & pace conſiſtere. conſimili ratione cum populus iterum in ſacro monte ſeditionibus, ac tumultibus omnia repleret, ſenatus per Lucium Valerium, & Marcum Horatium decemuiros, qui erant cauſa diſſenſionis, præcepit, vt ſtatim ſe magiſtratu abdicarent, ſicq; animi conciliati, & diſſidia compoſita fuere. Lacedæmones cum experientia didiciſſent, aurum eſſe fontem atque originem omnium diſſenſionum, illud ab vrbe expellentes, in exilium relegarunt. Hanc exitialem peſtem inter ſuos ciues renaſcentem, Ariſtides, cognomento Iuſtus, perſæpe compeſcuit, ac extinxit. Cum Athenarum vrbs eorum, qui nimio exactionum & vectigalium pondere opprimebantur culpa, tota odio, ac liuore arderet, Solon res omnes ad æqualem proportionem reducens, protinus omnia pacata, & tranquilla reſtituit. Hinc factum eſt, vt Caius Caſſius, cenſor prudentiſſimus, cui nihil unquam fuit antiquius Reipublicæ ſalute, & qui eius commoda & quietem, rebus omnibus præponebat, concordiæ ſtatuam erexerit in palatio, ipſumq; concordiæ ſacrũ, & dicatum eſſe voluerit, quò ſinguli, qui eò ingrediebantur ſuam ſententiam dicturi, aperte intelligerent, odia, inimicitias, diſſidia, & iniurias ibi locum non habere, ſed omnes amore patriæ, coram ſacra ianua deponendas, vt ſenatoribus concordiam ſancte colentibus, palatij portis reſeratis, inde

de

de foras erumperet odium, securitas, & libertas, vnde postea communis omnium lætitia, rerum copia, fausta coniugia, fructuosæ merces, ac optimarum artium studia orirentur; quæ quidem bona tã magna sunt tamq; nobilia, & excellentia, vt aliorum animos in stuporem rapiant. In quouis Regno, siue Republica nullum venenum est virulentius, nec vlla pestis ciuili dissensione crudelior. Hæc enim statim omnes bonos ritus euertit, leges dissipat, magistratus contemnit, compellit iudicia, omniaq; replet furore, rabie, ac immanitate adeò, vt vrbes fiant tanquam obscuræ syluæ sceleratorum hominum, quin potius huiusmodi, vt eas nullus præter sæua, & horribilia monstra inhabitet, quorum effrenatam insolentiam nec pudor, nec metus, nec fides, nec fœdus nec religio, nec denique vlla morum honestas, cohibere potest. Nemo est tam parui consilij, qui non norit, populi Romani imperium, totius orbis decus, & ornamentum, quo nihil sol vidit illustrius, nec immensius, nunquam ad tantum humanarum rerum fastigium, & auctoritatem peruenire potuisse, nisi ciues vnanimi consensu, & voluntate, se prudenter in suis actionibus gessissent, eademq; omnia gubernassent. siquidem ecquid tandem illud imminuit, ac euertit, nisi discordia? quid itidem nobilissimas Græciæ Respublicas, quæ sapientissimis viris florebant, labefactauit, atque deleuit, nisi discordia? Vtinam Africa, Hungaria,

Germania, Italia, Gallia, Hispania, Britannia, & innumeræ aliæ prouinciæ non mihi amplissimam huius rei materiam suppeditarent. Sed hæc exempla omitto, partim ne nimia illorum enumeratione sim prolixior, quàm statuerim, partim etiam et multo magis, ne præteritarum miseriarum memoria, tuæ maiestatis animum, ad nimiam commiserationem, & dolorem commoueam. Nam omnino vero verius est, neque famem, neque hostes, neque pestem, neque inundationem aquarum, neque belluas, neque tonitrua, neque terræmotus, plura oppida, & vrbes olim absumpsisse, ac solo æquasse, quàm discordia, & diuisæ ciuium uoluntates, quarum quidem rerum pleni sunt omnes libri, & plena exemplorum antiquitas. Hinc sanè euenit vt Mycipsas Numidarum Rex, cum sibi iam finem vitæ adesse videret, liberis ad se accersitis, eos vehementissime rogauerit, proq; paterna auctoritate iniunxerit, vt pacem, fraternumq; amorem inuicem colerent, si diu in prospero, ac felici statu conseruari cuperent, addens, concordia paruas res crescere, discordia quàm maximas etiam breuissimo spatio dilabi. Itemq; non exercitus neque Thesauros, præsidia Regnorum esse, verum amicos, eosq; neque armis cogi, neque auro parari, sed fide, ac officio. Euersa Numantia, quam Romani frustra tamdiu obsederant, Scipioni cognomento minori, à Tiresia Celtorum Principe, quærenti

quid nam ad illud vſque tempus eam inuictam, ac inexpugnabilem reddidiſſet, & quomodo poſtea in tantam miſeriam deueniſſet, ilico reſponſum eſt, Concordia ſemper eam vrbem ab hoſtibus defenſam, diſcordia vero ſemper ſuam libertatem amiſiſſe, eaq; tandem funditus euerſam. Quod autem de Numantia vere dictum eſt, idem etiam de omnibus Regnis, ac Imperijs uerißime dici poteſt: Nam pace nobiſcum commorante, omnibus bonis, & commodis abundamus, omniaq; nobis ex animi ſententia ſuccedunt. At ſi dulcißima eius conſuetudine priuemur, eaq; à nobis exulet, ſtatim omnibus malis, ac ærumnis obnoxij, vitam longe miſerrimam ducimus. Et ſanè ſi diligenter inſpexerimus, non fuit Pandora, quæ in vaſe nobis attulit omnia illa malorum genera, quibus mortalium vitam ſingulis penè momẽtis expoſitam cernimus, at ſolum diſcordia. Hæc enim ſola eſt cauſa, vt inter homines bella naſcantur, ex quibus quantam iliadem malorum totus orbis iam ſenſerit, & ſubinde ſentiat, nulla hominis eloquentia poſſet exprimere. Vellem equidem omnia mala (ſi mihi liceret) imprecari primis illis veteribus, qui prius arma inuenere, quiq; primitus, vt hominum quietẽ perturbarent, facilemq; modũ oſtenderent, quò alter alterum conſumeret, ferrum in eorum perniciem acuerunt. Ex hoc enim tot vulnera, tot clades, tot miſeriæ ſecutæ ſunt, adeò vt quã-

uis natura hominem ad hominis vſum genuerit, videatur poſtea, ſæuum & ferinum hunc morem potius ad eius damnum, atque interitum formaſſe. ſic bonis naturæ ſeminibus deprauatis, praua hominum conſuetudo neſandos, ac exitiales fructus producit. Hinc fit vt (ſicut antea dictum eſt) plures homines aliorum hominum opera, & manu, quàm vlla alia violenta, ſeu extraordinaria cauſa extinguantur. Si quis autem huius rei fontem, ac initium indagare velit, proculdubio inueniet nullum aliud eſſe præter humanam ſitim, & ambitionem, qua quidem indies magis, magisq́; creſcente, ſic unà creuere diſſenſiones, vt qui animi omni amore, & tranquillitate incenſi eſſe debebant, vt plurimum omnis odij, & turbidæ tempeſtatis pleni extiterint. Et cum ipſi à, Deo ſummo rerum omnium conditore creati, ſummi boni imaginem impreſſam in ſuo primordio habuerint, ſuam tamen harum inanium, & falſarum cupiditatum blanditijs, naturam obliti, quandam omnino extraneam ſæuitiam induerunt, & perinde ac ſi non amplius homines eſſent, omnemq́; humanitatem exuiſſent, quodammodo in belluas, brutaq́; animalia degenerarunt. Vinculum illud humanæ ſocietatis, quo natura homines arctiſſimo quodam nexu conglutinauit, effecitq́;, vt alij inter ſe alijs prodeſſe poſſint, minime amplius intelligunt, nec minus amplius cognoſcunt, quid naturæ hominis conueniat,

ueniat, id est, vt sua opera, & officio temperet, atque adiuuet hanc mundi harmoniam & pulchritudinem, cum ipsi contra, modis omnibus, eam dissoluere, ac euertere nitantur. Nec vident in primis quantopere sapiens ac iustus Deus omnium scelerum vindex, hac belluina sæuitia offendatur, & quàm multa, quæ rerum natura pulcherrima condidit, vel quæ hominum ars, atque industria excogitauit ac expoliuit, ipsi demoliantur, ac destruant. Postremo miseri non intelligunt, eos sibi ipsis quodammodo uim inferre, & proprias miserias procurare. Et quæ nam rerum confusio, quæ calamitas, quæ ruina, & pernicies in orbe unquam fuit, quæ non semper ex dissidijs ac bellis originem habuerit? quid opus est recensere quot urbes, quot regna, quot prouinciæ et antiquitus, et nostra, nostrorũq; patrũ memoria bellis non modo sint afflictæ, sed etiam penitus euersæ? quantoq; gemitu ac eiulatu populi lugentis, arma crudelia miseras gentes radicitus extirparint, nedum misere affecerint? Mihi quidem certe haud facile foret hoc tam altum pelagus ingredi, sed inde exire valde difficile. Verum omissis præteritis calamitatibus, quas vniuersus orbis propter hæc bellica certamina, summo suo malo, expertus est, si ea, quæ hoc nostro calamitosissimo sæculo acciderunt, paulo altius repetamus, nemo sanæ mentis non fatebitur, eum acerbissimis pœnis, ac supplicijs dignum extitisse, qui primus auctor

fuit violandæ pacis, animosq́; principum ad pugnas & prœlia inflammauit. Et sanè qui est causa belli, idem etiam generis humani euersionis est causa. Quòd si (vt de reliquis orbis partibus taceam) in quàm ærumnoso, ac miserabili statu, Europa tot annos iacuerit, idq́; solum principum inter se dissidentium culpa, diligenti animaduersione inspexerimus, liquido apparebit nullam fuisse partem siue foris in suis proris, siue intus in sinu, quam hæc rabida fera non momorderit aut lacerarit, adeò vt plena squalore, macie, morboq́;, vix vllam amplius pristinæ suæ virtutis vim, & colorem in se retinuerit, quin potius eò miseriæ deuenerat, vt nec stare, nec iacere posset, sicq́; in hanc, vel in illam partem cadebat, vt nisi Deus præsenti ope succurrisset, parum illi iam superfuisset spiritus, & vigoris, parumq́; virium, quibus vlterius animam in corpore sustineret. Ecquid autem nisi bellum, tot pagos, tot oppida, tot opulentas vrbes hactenus expoliauit, ac euertit? Per quem, nisi per bellum, tam innumeri homines suis bonis & facultatibus exuti, suisq́; penatibus expulsi, ac dulci, caraq́; libertate priuati, in maxima miseria, rerumq́; omnium egestate vixerunt? vnde nisi à, bello tot strages, totq́; innumera, & exquisita supplicia, quibus boni, ac innocentes varie affecti sunt, prouenere? Cuius vero animus non abhorreat à, cogitatione, nedum commemoratione illarum re-

rum

rum, quæ in vrbium expugnatione ab hostibus fieri solent? Et quæ vis dicendi tanta est, vt ea explicare possit? Quod scelus intactum relinquitur? Quæ sæuitia non pro misericordia habetur? Paruuli infantuli ab vberibus miserarum matrum vi abducuntur, sæuoq; ferro trucidati, vel dura inter saxa proiecti, ante illarum oculos miserabiliter animam exhalant. Quo quidem horribili spectaculo filius vulnere, mater intolerabili dolore vnico ictu occiditur. Castæ Matronæ, ac simplices virgines pura, & incorrupta mente, impurissimis, & corruptissimis impiorum hominum libidinibus, coguntur subesse, vbi in corporibus vim passæ animo tamen incorrupto, ac illæso permanentes, pulcherrima nonnunquam, & clarissima suæ virtutis ac honesti pudoris exempla, cum olim, tum etiam nostra memoria præbuere. Quid plura? Interdum (horresco referens) miseri parentes filios, & filij parentes, vxores viros & viri vxores pœnis atque opprobrijs afficere coguntur, quæq; manus antea pietatis, & amoris officio fungebantur, maiore vi coactæ, in suum met cruorem inuitæ sæuiunt. Quid templa prophanata, quid concionatores varie trucidatos commemorem? Horum tantorum scelerum, & calamitatum radix, atque origo neutiquam est pax, & concordia, sed bellum, atque dissensio. Proinde valde inhumane (meo quidem iudicio) mihi facere videntur, qui propter aliquod

priuatum commodum (quod tamen vt plurimum breue ac fragile, innumerisq; fortunæ varietatibus obnoxium est) tot commodorum priuatione, tã magnas bellorum faces excitant, vt etiam quum eas extinguere maxime cupiunt, non possint. Nam cœpisse penes multorum est arbitrium, at minime in cuiusuis voluntate finem quum velit, imponere. At esto, hæc omnia, quæ superius dicta sunt, esse falsa, & fictitia, (quæ tamen verissima esse vtinam negari posset) non videmus quot alia mala, & calamitates, bella secum afferant? Mihi sanè videtur, quòd quemadmodum in Dei amore omnia bona insunt, & nexu quodam simul vinciuntur, sic etiam in bellis, id est in furore Sathanæ, qui primus voluntati, sui conditoris aduersari cœpit, omnia malorum genera connectantur. Nec enim bella contenta sunt his damnis ac miserijs, quas nobis (vt dictum est) ferro & igne, alijsq; modis longe crudelissimis inferunt, at etiam semina, & amarissimos ac horribiles fructus, famis atque inopiæ relinquunt. Nam hoste agros depopulante, ac replente incendijs, maturasq; segetes, & immaturas equorum discursionibus dissipante, nuncq; armentis, & nunc miseris colonis interfectis, eo deuenitur, vt nihil, aut certe parum, pro alimentis hominum remaneat. Agri non amplius excoluntur, oppida deseruntur, ædificia euertuntur, omnia denique breui syluescunt, & quæ domus erant prius,

hominum domicilia, paulatim fiunt luporum, vrsorum, aliarumq; belluarum receptacula, indeq; subinde crescit rabida, & intolerabilis fames, & squalida facie, miseris extrema quæq; minitans, eos paulatim, sensimq; absumit inedia. Hinc fit, vt & in oculis, & in vultu mortis imaginem impressam circumferant, in ipsaq; vita, nihil aliud vitæ, quàm famem sentiant. quæ quidem si, vt ferrum, subita illos morte necaret, in hoc saltem pia foret, sed vitæ nutrimenta subtrahens, nec tamen propterea mortem afferens, eorum spiritus æque vt fit in candela accensa, cui desit luminis materia, paulatim absumit. qua quidem pœna, & cruciatu, quid potest esse atrocius? Quæ commiseratio, quisue dolor ille censendus est, quum paruuli infantuli extrema inedia oppressi, panem petunt ab exangui patre vel pallida matre? Quæ vox ista in eorum auribus existimanda est? ea certe ad cor statim per illas decurrens, illud ferit crudo, & insanabili vulnere, qui magis filiorum quàm suam vicem dolentes, in tanta egestate, ac inopia rerum omnium, nec se, nec liberos adiuuare possunt. Hinc euenit vt eos interdum coram se deficere, atque absumi videant. Cuius quidem rei exempla non opus est, vt ex veteribus annalibus petantur, cum ætas nostra satis, & plusquam satis, re ipsa experta sit. Hæc fera, immanisq; rabies, persæpe coegit homines omnibus alijs alimentis destitutos, tam

viles

viles ac ſordidos cibos comedere, ut penè dictu incredibile ſit. Nam quibuſdam herbas, & gramina inſtar belluarum, victum præbuiſſe, quoſdam autem (ut Hieroſolymæ de Iudæa Maria Ioſephus narrat) proprios filios inedia fameq; impulſos ediſſe, nonnullos extrema rabie adactos ſuas manus corroſiſſe, quid attinet commemorare? Quare his tam horribilibus exemplis omiſſis, hoc in præſens cogitaſſe ſufficiat, ſæpe cauſa belli tantam famem homines inuaſiſſe, ut ille fuerit opulentiſſimus, interq; omnes alios fortunatiſſimus, qui tantum cibi habuerit, ut ſe ipſum (licet parce ac duriter) ſuſtentare potuerit. Hi ſunt ergo belli fructus, hi triumphi, hæc gloria. Ferreus omnino, ac totus ex adamante mihi eſſe uidetur, quem tam diri, & miſerandi caſus non moueant, quiq; non cogitet, quomodo natura, uetus & pia parens omnium noſtrum, non ſua quidem ira, & auerſa uoluntate, ſed aliorum culpa, conſueta uitæ nutrimenta non dederit, ſuosq; fructus tunc nobis deeſſe uiderit, quum ipſa forſan magis nos tueri, atque alere cupiebat. Quam quidem ob rem illis hominibus agendæ ſunt gratiæ (ſi cuiquam ob malefacta gratiæ ſunt agendæ) qui bellis mouendis harum omnium calamitatum auctores extitere. Cæterum non modo hæc illis accepta ferenda ſunt, ſed etiam peſtis inde initium habuit. Ut enim ex uno errore plures proueniunt, ſic etiam poſt hæc mala peſtis

orbem

orbem aggreditur. Quod ſanè tam certum eſt, vt nullo teſtimonio probari indigeat. Hoc ſine vlla dubitatione affirmari poteſt, ex diſcordia oriri bellum, ex bello famem, ex fame peſtem, quarum vnaquæque miſeros mortales adoriens, certatim contendit, quænam illarum citius illos ad interitũ perducat. Verum hæc poſtrema quo (Dij immortales) horrore? cum hic furioſius morbus tanquam rapidiſſimum fulgur, quàm citiſſime per omnia loca excurrens, & modò hic, modò ibi diutius conſiſtens, innumerabilia corpora viuentia miſerabiliter extinxerit? Hac graſſante, omniaq; ſuo contagio inficiente, non parens filium, non filius parentem adiuuat. Frater fratrem fugit, vir uxorem, vxor virum abhorret (quodq; haud minoris æſtimandum eſt) per hanc ſæpenumero arctiſſimum vinculum diſrumpitur, ſanctiſſimaq; lex amicitiæ truncatur, atque diſſoluitur. O infelix, cui malo ſuo fato, naſci contigit, ea potiſſimum tempeſtate, qua bellicus furor omnia diuina & humana iura peruertens, humanam vitam vſqueadeo miſerabilem efficit. O longe infelicior, qui ea natus, altus, ac educatus hos tam diros, ac horribiles ictus declinare non potuit. O vere infeliciſſimus, ſi tanto miſeriarum agmine circumdatus, mentem ſuam ad Deum non erexerit, omniq; rerum humanarum ſpe depoſita, ſuam animam cum Deo vnico, veri boni auctore, non iterum coniunxerit.

xerit. Etenim si hæ acerbissimæ pœnæ, nostros animos tantopere transfigunt, cur nostros oculos ad eum non conuertimus? Cur in tantis miserijs eius opem non imploramus? Si iratus est, placabitur, si sententiam tulit, immutabitur: eoq; modo ipse immutabitur, quo olim pœnitentia & lacrymis Niniuitarum duram sententiam per os Ionæ in eos datam reuocauit. Sed homines nescio quo illorum scelere semper oculos in terram potius, quàm in cœlum defigunt, & hæc humana terrestri solum ratione considerant, indeq; fit ut persæpe diuino splendore destituti, obscurissimis & plusquàm Cymmerijs tenebris inuoluantur. Cur itaque mirum est, si tot belli, famis, pestisq; calamitatibus afficiantur? Quid mirum etiam, si illa amarissima radix omnium malorum, si letale illud uenenum, quod omnia uiuentia sua ui mortifera inficit, si denique illa infernalis furia, pestilentissima discordia, Principum animos transuersos agat, nec sinat quiescere, quò minus omnia susq; deq; misceantur?

Ad hæc infinita mala & miserias, illud quoque minime silentio inuoluẽdum est, quòd Marte seuiente omnia bonarum artium studia, omnis nobilitas, mores, leges, ac religio, quasi ex orbe, migrare coguntur, nec ullum habent locum, ubi consistant, sicq; incertis sedibus uagantes, omnibusq; inuisæ, ad interitum properant. Nec in primis hoc à me dicitur de literis, bonisq; artibus, eo quòd extin-

ctis tot uiris occasione belli, docti etiam ac eruditi intereunt: sed quoniam nec hi, qui superstites remanent, possunt, aut uolunt studijs amplius operam nauare, cum id primum sit eis ablatum ui, uel à fortuna, alterum à consilio, uel ab usu. Ecquis enim est, qui inter asperos tumultus, ac strepitus armorum literas uel intueri queat? Quòd si forte illarum amore accensus, ad eas redierit, & intermissa studia repetat, qua quiete mentis, qua'ue animi tranquillitate id facit? Profectò quum primum tympana exaudiri, & martialis tuba sonitum dare incipit, omnia hæc præclara studia, & laudabiles disciplinæ conticescunt, ac sepultæ iacent. Impedit uis, & fortuna illis adimit commoditatem bene agendi, nec illi à minus ualentibus resisti potest, nec huius anfractus euitari, sicq; ambo alienis miserijs oblectantur. Sed huiusmodi studijs nec mentem amplius adijcere uolunt, sic nonnulli ex malis, quod minus malum est eligentes, consulunt sibi ipsis, & quosdam usus uirtutum, quas amiserunt, mouet, ut ea tanquam nihil emolumenti secum afferentia, penitus deserant. Sed age cur literarum studijs homines diutius inuigilarent. Num honoris gratiam? At ipsi inter enses & militarem furorem omnibus contemptui habentur, omnibusq; contumelijs exponuntur. Spe præmij? At belli tempore nihil magis despicitur, nihilq; magis alienum est ab omni præmio. Ut uiuant securiores?

riores? At nudi & laceri, fiunt præda uel inertissimi militis, ac ignauissimi nebulonis. Oblectationis ergò? Sed quis vnqnam poterit ea re delectari, qua ipse non celatur apud alios, quæ ue tibi, quum maxime opus est, auxilio non subueniat, nec minus in periculis tutiorem reddat? vel quomodo inter tot miserias, turbinumq́; procellas potest in animum sapientis cadere cupido vllius oblectamenti? Res planè digna est omni admiratione, vt in his tantis ærumnis, ac bellicis furoribus emicet vel minima scintillula veræ gloriæ, cum homines tot calamitatibus perterriti, omniaq́; tanquam inutilia contemnentes, tantummodo cogitent, quomodo suæ saluti prospiciant. Quòd vero in bellis maxima nobilitatis iactura fiat, eaq́; sæpenumero extinguatur, nedum aliena, nouaq́; stirpe misceatur, haud sanè multis eget argumentis, vt probetur. Nam quotidie videmus homines, obscurissimo ac vilissimo genere natos, causa huius execrandæ pestis, eò insolentiæ deuenire, vt correptis armis, veteres, & nobiles ciues è suis sedibus eijciant, sibiq́; indignè vsurpantes, quod cum dignitate mereri nec possunt, nec sciunt, nobilitatis gradus confundere, ac sepelire modis omnibus allaborant, & interdum eò progrediuntur, vt martio furore omnia miscente, vix vllum veræ nobilitatis vestigium agnoscatur. Nonnulli etiam timore, ac imminenti periculo, relictis laribus, & natali solo, in alias regiones commigrant,

migrant, ibi quò securius uiuant, sibi domicilium constituentes, vbi deinde nec pristinum gradum, nec dignitatem tueri possunt. Quidam alij, suis do mibus ab externis nationibus expulsi, uagisq; ac incertis sedibus misere uagantes, magnaq; inopia & egestate oppressi, omne signum nobilitatis amit tunt. Huius rei multa exempla recenseri possent, quæ in uarijs, diuersisq; prouincijs, etiam nostra ætate acciderunt. At quis ea sine maxima animi commotione, ac gemitu uel audiret, uel cæteris nar raret? & quem obsecro non commoueant tot miseriæ? quem etiam non tædeat pigeatq; uidere præte ritorum, ac recentium bellorum culpa, omnem pro borum morum integritatem, hoc infelicissimo sæculo corruptam esse? Et quis enim ullus fere mortaliũ est, qui conspiciens, non modo pudori, probitati, uir tuti, uerum etiam libertati, ac saluti, nihil amplius loci relictũ, quadam desperatione adactus, non declinet à uero itinere, quiq; clare intuens, eos magis æstimari, ditioresq; fieri, qui magis procul à, recto tramite desciuerunt, is etiam pari exemplo non eadem uestigia sequatur? sic homines imitantur eos, quos ad opes, ac dignitatum fastigia euectos ui dent. Nostro quidem tempore ut plurimum neque modestia, neque temperantia, neque iustitia, neque fides quicquam amplius ualent. Hæ uirtutes inter strepitus militares nullum omnino locum habent. Qui nostra ætate uirtutibus, quàm optimè armatus

tus esse cupit, eum penitus immodestum, intemperantem, quin etiam iniustum, ac infidum esse oportet. Hinc sanè præter maxima commoda, quæ hinc assequetur, etiam pro prudentissimo, maximiq́ consilij homine habebitur. Quid plura? Omnes hunc probum atque honestum dicent, sic mali ac improbi nefaria scelera, honestatis titulo tegere, ac eo nuncupare didicerunt. Equidem nollem uideri, de animi humani uirtute diffidere, nec omnino existimare, non posse etiam hoc nostro corruptissimo sæculo, uideri aliquam spem correctionis morum: sed hoc dico maximam difficultatem esse, vt in tanta uiuendi licentia, & probitatis corruptela, pristinæ bonitatis disciplina retineatur, & cum hominis natura facillime in malum prolabatur, nec ullo freno cohiberi queat, quin potius diuersis blanditijs huc alliciatur, mirum non esse, si mundus prauis ac uitiosis hominibus repleatur. Cui quidem rei magnorum Principum prudentia, omni cura & industria prospicere debet, ne melior pars, inermis, inter peiores remaneat, ne'ue probum esse, sit illi capitalis pœna, & scelus morte expiandum. Nec ista ullo modo corrigi possunt, nisi & bella corrigantur, quæ quidem infinitam multitudinẽ facinorosorum hominum in se admittunt, quosdam nutriunt, & plerosque tales effitiunt, adeò vt quicunque uelit impune delinquure, suisq́ sceleribus inuenire securitatem, ad bellum tanquam ad Asy

lum

lum confugiat, & in illis commorans non solum ob sua scelera non punitur, sed etiam subito inuenit, qui eum & præmijs & maximis honoribus prosequatur. Bella quæ hodie geruntur, non sunt qualia olim veteres gerebant, in quibus magis Deus quàm homines timebatur, omniaq; rite, ac iuxta æquitatem fiebant. Erga Ducem ac Imperatorem exercitus, erat summus metus, ac obseruantia, inter ipsos milites mutuus amor, atque concordia, nec illis oppida & vrbes vice stipendij dabantur; non donabatur libertas, aut vita miserorum hominum. Nihilominus tamen si tot damna inferebantur innoxijs, totq; mala videbantur in ea tam ordinata militia, quid obsecro de hac inordinata & incerta existimandum est, vbi sine sacramento, sine amore, sine vllo prorsus ordine omnia subduntur inexplebili hominum cupiditati, ac sæuitiæ, modo rapaces, & cruentæ illorum manus tam vltra extendi possint? Hinc fit, vt leges, quæ pro vrbium quiete, & conseruatione inuentæ sunt, parum, vel nihil obseruentur; vt magistratui, legum normæ, ac magistro, nulla vel perexigua obedientia exhibeatur; vt nemo bonorum ordinum instaurator existimetur. Nanque vbi omnia confuse ac inordinate reguntur, omniaq; vi armorum administrantur, qui fieri potest, vt leges ibi vllum locum obtineant? Quomodo iudices ibi colentur, siue vllo in pretio habebuntur, vbi omnis da-

tur opera, ut illæ è, medio tollantur? Nunquam profectò ſine legibus ulla quies, uiuendiq́ tranquillitas in orbe vigebit. At ſilent leges inter arma; ſine magiſtratibus nihil tutum erit; atqui arma corrumpunt magiſtratus. Citra ordinem omnia confunduntur. Hæc autem tempora omnem ordinem euertunt. Ex quibus certè hi qui diu ſub metu legis vixerunt, ſeq́ ad eius præſcripta compoſuere, illarum contemptum nequeunt non quàm ægerrime ferre. Prima iuris præcepta ſunt. Honeſte viuere, neminem lædere, ius ſuum cuique tribuere. at in illis perditiſſimis moribus, & ſceleratiſſimis cupidinibus, quomodo quis honeſte viuat, cum ſolum ad res inhoneſtas, longeq́ turpiſſimas animus propendat, illisq́ dumtaxat homines dedantur? Quomodo non quiuis lædatur, cum innocentes, ac immeriti ſuis fortunis, libertate, ac ſæpe etiam vita priuentur? At hæc omnia bellis ac diſſenſionibus accepta ferenda eſſe quis non videt? Quo circa ſi tandem his malis homines finem imponerent, præclariſſimè cum mortalibus ageretur, omniaq́ in tranquilliſſimo, ac beatiſſimo ſtatu florerent. Cæterum haud equidem ob id negarim, inter eos qui militaribus armis induuntur, non fuiſſe olim, ac etiamnum eſſe, multos homines dignos gloria, & immortali laude, qui probitate, uſu rerum, & cæteris præſtantiſſimis virtutibus ad altiorem gradum excellentium hominum aſcenderint, quin etiam,

etiam, certo scio, perplurimos huiusmodi extitisse, ac etiam esse his temporibus. At minime id satis est, nec sufficit quantum res postularet. Cum enim aliorum ordines tantopere corrupti sint, nequeunt per hos, quos dixi, plenè & absolutè ad debitum ordinem reduci; cum uero illorum virtus, tot malis, ob varias causas, resistere nequeat, necesse est vt aliorum libidini cedant, & potius cogitent quid sibi agendum sit, ne ipsimet corrumpantur, quàm vt sperent, se vnquam tam multorum corruptelæ mederi posse. Maiorem sanè potentiam, altiusq; principium hæc prouincia, vt semel inchoata perficeretur, sibi postulat. Hi tamen haud mediocri laude digni esse videntur, qui studiosis, honestisq; actionibus aliquod semen veræ virtutis inter alios spargunt; quod quidem temporis progressu, forsan vberrimos, ac vtilissimos fructus, ex se producet, conformes primæ origini earum rerum, quas ipsi tam egregiè præstiterunt. Interim omni cura & studio deberent homines his tantis calamitatibus finem imponere. Nam esto, vt nihil eos ab huiusmodi cogitatione abduceret, nihilq; aliud eorum animos incitaret, metus certè diuinæ iustitiæ, ac Religionis cura, meritò extimulare deberet. Nam si cætera omnia incommoda diligenter æstimentur, vt omnia mala cum hoc, iusta lance, ponderentur, ea profectò nihil fere à sapientibus, et simul bonis æstimanda sunt. Illa enim res huma-

nas, hæc cœlestes intuentur. In illis hoc terrenum & mortale corpus affligitur, in his uero anima diuina & immortalis. Per illa, quæ ad homines tantummodo spectant, per hæc autem quæ ad Deum, eiusq; gloriam pertinent, opprimuntur. Hoc enim effrenato diri martis impetu, ac præcipiti furore vera Dei religio, veraq; in nostrum unicum seruatorem fides, haud sanè uno modo dumtaxat offenditur, at certè uarijs, ac diuersis modis. ex quibus, tametsi perplures recenseri possent, hos tantum in præsentia enumerasse sufficiet; unde quanti res ista momenti sit, quantiq; referat, cuiuis facile manifestum erit.

Prima quidem ratio est, quòd quicunque nostri temporis militia intricantur, facillime Dei contemptores fiant, siquidem illius uitæ libertas, ne dicam licentia, efficit, vt omni Dei timore deposito, sibi ipsi solum suisq; uiribus fidant, & excusso religionis iugo, nihil non sibi licere arbitrentur. Pro cuius quidem rei probatione, nullo alio testimonio est opus, nisi quòd ipsi nunquam auderent quæ audent, nec ea facerent quæ faciunt, si ullo Dei timore illorum animi tenerentur, cum tamen inter alia eius præcepta, & hoc sit, neminem iniurijs afficiendum. Hinc etiam cæteris nocent, nunc desperatione, nunc exemplo, & (sicut aliqua corporis pars infecta) reliqua omnia inficiunt. Nam alij his tantis malis undique circumsepti, & quadam

dam ferè desperatione adacti, infinitis, ijsq; falsis cogitationibus mentem replent. Nonnulli multis prauis operibus allecti, religionis frenum dentibus apprehendunt, deinde, in omnia scelera ruentes, ad illa præcipites, totisq; animis feruntur. Nec sanè video quid nam homini maius damnum afferat, quid'ue dignius correctione sit, quam religionem neglectui habere. Quisquis enim hoc agit, non modo suam animam offendit, ac in Dei iudicio meritas pœnas luet suorum scelerum; sed etiam generis humani societatem euertit, simulq; aliorum quietem infestat. Proinde si veteres Romani, licet falsam religionem colerent, seuere puniebant, qui secus quàm ea præcipiebat, egissent, siue de ea minus quàm decebat, honorificè locuti essent, qua pœna, quo'ue supplicio digni sunt, qui in uera, & sincera Dei fide, ac religione nihil aliud christiani hominis habent, quàm titulum? Nimis profectò, nimis dignæ sunt, nimisq; magni momenti res fidei, ac nostræ animæ, nec scio qui possit inueniri tam impos mentis, tamq; communi sensu & ratione priuatus, qui pro his terrenis & momentaneis bonis, æterna, & cœlestia contemnat.

Secunda, quamdiu hæc dissidia & bella perdurant, magisq; his orbis ardet, magis etiam subinde crescunt opinionum varietates, maiusq; impedimentum adiungitur, quo minus in aliqua synodo generali, vel nationali, fiant per uiros eruditos,

ac pios, mutuæ sententiarum collationes, liberaq́; iudicia habeantur, vt tandem certa ratio iniretur earum rerum, quas homines in posterum sequerentur. Quod quidem quàm nostro tempore pernecessarium sit, nemo est sanæ mentis qui non videat. Ex quo quidem disceptari cœptum est de religione, plurimaq́; in dubium vocari, quæ antea pro certissimis, ac verissimis habebantur, multa varia colloquia ad religionem pertinentia per doctissimos, ac disertissimos viros coram Imperatore Carolo, & cæteris principibus extitere. Sed quominus optatos ac etiam speratos exitus habuerint, vt plurimum bella impediuere. In Italia quem fructum habuerint, sæpius inchoatæ sessiones, omnes norunt. In Galliis, & antea, & postremo, vnde tanta sanguinis effusio, tanta strages? Non aliunde profecto, quàm ab hac teterrima belli lue, & sathanico furore originem habuit. Nec sanè adhuc quisquam est, tanta prudentia & sapientia præditus, qui harum calamitatum finem prospiciat, nisi tandem armis depositis, tranquillus locus assignetur hominibus pijs, ac eruditis, in quo liceat libere loqui quod sentiant, sicq́; omnis de religione controuersia dirimatur. sed quamdiu mars furit, quid non potius metui, quàm sperari possit? Morbus quidem iste, qui tam multorum animos correpsit, grauissimus est, ac etiam diuturnus. At minime tamen de remedio, eiusq́; curatione desperandum foret, si hæc

aspera

aſpera corda, & iratæ principum voluntates, mitiores fierent, ſi arma illa crudelia, quæ in eos, qui Chriſto nomina dederunt, iamdiu ſumpta ſunt, tandem deponerentur, vel ſaltem aliò verterentur. Nec enim dubitandum eſt, quin hæc virulenta peſtis ceſſaret, hic ardentiſſimus ignis extingueretur, & qui nunc à vera fide deſciſcunt, cognita veritate, ſe ipſos tandem agnoſcerent, ac certa incertis, veraq́; falſis anteponerent. Cur autem huiuſce rei ſpes nobis abijcienda foret, cum innumeris exemplis longè ſecus euenire appareat? Quoties olim in primitiua Eccleſia, iiſq́; temporibus, quæ poſtea ſecuta ſunt, fuere diſſidia fidei, ac etiam de primarijs articulis earum rerum, quibus negatis prorſus homini de ſua ſalute deſperandum eſt? Quis autem neſcit, ea demum per bonos principes fuiſſe compoſita, nec tamen vllo modo componi potuiſſe, niſi eorum imperio, ſedatis bellis, tranquillitas in iis locis fuiſſet, vbi huiuſmodi controuerſiæ, hominum animos, in tam varias, eaſdemq́; falſiſſimas perſuaſiones trahebant?

Tertia propter varias diſſenſiones Chriſtianorum Principum, Turcarum vires, qui ſunt immaniſſimi, ac ferociſſimi hoſtes nominis, ac fidei noſtræ, quotidie maiores fiunt. Impuriſſimum Mahumetis Imperium quotidie magis, magiſq́; creſcit, noſtroq́; maximo damno, ac dedecore terminos latius extendit, nec huius rei vlla verior, ac

certior causa est, quàm mutua nostrorum principum odia, & animorum dissensiones. Sic Boemundi, & Tancredi primum, deinde cæterorum discordia, Saladinus nostros expulit ex Asia, & immaculatum seruatoris nostri sepulchrum denuo rediijt ad infidelium vires. Sic Paleologis, & Catacusinis inter se certantibus, primus Amurates possessionem amplioris meliorisq́; partis Græciæ occupauit. Sic principibus occidentis Imperij, inuicem dissentientibus, Sultanus Mahumetes, cepit Constantinopolim, & nomen Imperij Orientis extinxit. sic denique (vt alia infinita omittam) potentissimus, ac superbissimus Turcarum Imperator Solimanus, qui nunc rerũ summa potitur, vicit Belgradum, expugnauit Rhodum, totumq́; penè Hungariæ Regnum ferro, ac incendijs deuastauit, plurimasq́; prouincias, & oppida, longè munissima, quæ uirtute, ac forti manu inclyti, & gloriosissimi Matthiæ Hungariæ Regis, Turcarum Imperio erepta fuerant, rursus (proh dolor) in eorum ditionem rediere. Quid memorem Viennæ obsidionem bis tentatam? Quid tot præclarissimas vrbes, & loca misere spoliata, & incensa? Profectò si ita pergatur, maximè uerendum est, ne etiam (quod omen Deus auertat) reliquæ prouinciæ in Europa, iisdem mutationibus obnoxiæ futuræ sint, eademq́; pericula subituræ, quæ cæteræ orbis partes, hæq́; longe maximæ, ac potentissimæ, subierunt.

runt. Etsi nanque difficile est, de futuris rebus certam proferre sententiam, interdum tamen coniectura licet propius accedere, præsertim quum res huiusmodi est, ut eius exitus facile uideri possit. Sic miseri, ac dementes Christianorum principes, dum inter se dimicant, & alter alteri perniciem struit, Turca eorum ruinam lætus aspicit, Christiani uincunt, ipse triumphat. Christiani mutuò se interficiunt, ipse præda potitur. Utq; summatim, unoq; uerbo omnia complectar, eorum inertia, odio intestino, & ambitione uana, quàm felicissime lætatur, ac ex utroque maxima commoda & utilitates assequitur. His uerò malis, & calamitatibus unicum remedium relinquitur, ut videlicet meminerint, se non ideo principes à Deo constitutos, ut simul consumentur, sibiq; subditos una secum destruant, sed ut in mutuo amore, ac beneuolentia conseruentur, omniq; iustitia & æquitate præsint, eisq; sceptrum datur, ut in primis quæ ad uerum dei cultum, ac eius gloriam celebrandam pertinent, quamdiligentissime promouere studeant. Nec sanè Deus exigit ab eis odium, liuorem, & ambitionem, sed sincerum amorem, caritatem, atque concordiam, decetq; ex illorum potentia nodum quendam, & harmonicam unitatem connectere, unde cuiuis manifestum sit, his omnem regnandi potestatem, à Christo Regum Rege, tributam esse, ac illa imperia, illa Regna & ditiones,

per Christum habere, ideoq; sibi dandam esse operam, vt pro his maximis beneficijs, quàm gratissimi inueniantur. Quocirca nec cupiditate, nec ira, nec alio animi affectu, illis arma sumenda sunt, sed tantummodo quum ea suscipi necessitas urget, pro fide ac religione. Hæc si secum interdum cogitauerint, non poterunt non angi maximo dolore miseriarum præteritarum, earumq; memoria, & recordatione non sæpe ingemiscere. Tunc proculdubio incipient impetus armorum cohibere, ac ea in meliorem vsum conuertere, modisq; omnibus conabuntur, in illis locis tranquillitatem, ac serenitatem inducere, quæ in densissimis tenebris posita, diu Phœbi splendorem aspicere nequiuerunt. Id uerò cum absque singulari dono sanctissimæ pacis, nullo modo fieri, aut sperari possit, nunc aliquid de illa dicendum videtur. Itaque vt superius nonnulla, de dissensione ac bello, deq; his, quæ ab vtroque emanant, disserui; nunc deinceps aliqua mitiori sermone de pace, atque concordia, quosve in hominum vita effectus producere soleant, breuibus demonstrabo. Nemo est mortaliũ, qui vel ad hoc solum amabilissimum nomen pacis, non maximam subito & incredibilem animo lætitiam sentiat. Hæc verò tanto dulcius, ac iucundius bonum existimatur, quanto belli fructus acerbiores fuerunt. Et sanè hæc unica uia, unicumq; remedium est, quod homines tantis ærumnis, atque mi-
serijs,

ferijs, quibus impliciti opprimuntur, extricare potest, totq́; imminentibus periculis eripere. Hûc igitur, si à nobis nostrorum commodorum ratio habetur, mentes dirigendæ sunt, si uerò communium, longe maior. Nec ipse uereor ullum sapientem inueniri, qui pacis commoda non intelligat, belliq́; non sentiat incommoda, quiq́; non libere affirmet, quieta & tranquilla tempora esse multo feliciora perturbatis, & pacem discordia tutiorem. Atqui homines, etsi persæpe norunt quid magis conducat, quidq́; sit magis expediens, illud tamen ignorant, uel interdum nequeunt, vt oporteret, firma deliberatione amplecti. atque id ob multas difficultates, quas de magnis rebus consultatio secum affert. Has enim haud facile cuiuis aggredi posse uidetur, atque perficere, nisi aliqua excellenti uirtute impulsæ, ac adiutæ ad optatum exitum perducantur. Quantas igitur laudes merentur quorum opera, prudentia, et auctoritate pax in aliqua prouincia restituitur? Profectò uix ullæ tam magnæ ac ingentes dari possunt, quin multo maiores mereantur. Quòd si summis honoribus celebratur, qui uel unius urbis conditor extiterit, quantis illum celebrari par est, qui ita se gesserit, vt per eum innumeræ urbes conditæ ab omni excidio præseruentur? Quòd si omne bonum tanto præstantius est, quanto latius patet, quanta laudis gloria digni sunt, qui tantum bonum, tamq́; amplum benefi-

cium

cium alicui Regno præstitere? quod autem beneficium huic maius, uel etiam simile inueniri potest? Etsi homines bonarum legum auctores, maximis atque innumeris laudibus euehuntur, quantis ille euehi, quantis etiam præconijs efferri debet, per quem earum conseruatio atque defensio cum securissima tranquillitate reddatur? Equidem haud noui unde principes (atque hodie præsertim) nobiliorem gloriam ulla re alia, quàm ista sibi comparare possint. Mihi certe inanis & iniusta illa gloria uidetur, quæ aliorum iniuria quæritur. Illa est uera, honesta, iusta, & immortalis gloria ab omnibus iudicanda, quæ non urbium euersione, populisq; affligendis constat, sed earum conseruatione, illisq; iuuandis acquiritur. Hoc autem fiet, si pax, quies, & concordia restituantur. Hic uera uirtus elucet, qua illorum animi accenduntur, ut prosint, non obsint, ut seruent, non perdant: ex quo fit, ut gloria, quæ hinc tanquam ex bona & uiua radice nascitur, semper pulchrior floreat, cuius quidem specie ac amœnitate, tanquam ex suauissimo odore allectus quisque mirifice delectatur. Etsi uerò hi principes, per quos tale ac tantum beneficium homines consequuntur, nulla gloriæ cupiditate, uel ambitione, sed tantummodo quodam Zelo bene agendi, ad hoc impelluntur, tamen ueram uirtutem, semper debita gloria comitatur, utq; corpus umbram, sic illam hæc sequitur. Quicunque igitur

aliquid

aliquid inter mortales honorifice, atque cum laude gesserunt, hos honores fugere nequeunt, nec has laudes, quæ sibi iure conueniunt, euitare, ne inquam illorum merita multorum ore prædicentur, ne'ue scriptis excellentissimorum hominum in cœlum vsque efferantur, quin potius illorum laudes eò magis celebrantur, quò minus illos ardore gloriæ flagrare, omniaq́; nulla famæ, aut præmij cupiditate, sed honestatis, uirtutisq́; ac publicæ vtilitatis amore, homines facere animaduertunt. Sic sanè egregia nobilissimorum virorum facta, cum æterna eorum virtutis memoria, perpetuo vigent, & plerique alij, vel eorum forsan exemplo commoti, vel pari gloria incitati, ad res præclaras multò facilius incenduntur. Cæterum (vt omnes alias rationes prætercam) quis est inter Christianos, vel mediocriter prudens, nedum alta & sublimi eruditione conspicuus, qui non sæpe vel audierit, vel legerit, diuinã & infallibilem Christi, veri Seruatoris nostri, ac in omni actione & opere, longe sanctissimi, ac solius verissimi exempli, vocem fuisse, vt Pax inter homines conseruetur? Is certe in quascunque ædes introibat, pacem annunciabat, vtq́; idem sui discipuli vbique facerent, admonebat. Cumq́; mendax & maligna Hebræorum gens, illi vitio verteret, quòd miseros, oppressos à Dæmone sanaret, ostendit, omne Regnum, in quo non esset Pax, at in se diuisum foret, atque dissentiens, breui ruiturum. Ip

ſe quoque in fine ſuæ terrenæ peregrinationis cum extrema iam hora ſibi aduentaret, ſuos diſcipulos circa ſe habens, quid ue etiam illos facere oporteret, oſtendens, quid eis reliquit? Bellum ne? Minime iſtud eſt pretioſum illud ac ditiſſimum teſtamentum, quod eis relictum voluit, ſed pacem. Pacem meam (inquit) do vobis, pacem relinquo vobis: ita ſemper ipſe pacem dilexit, & ſuper omnes alias res humanas caram ſibi eſſe demonſtrauit. Quid itaque opus eſt, vt hæc ipſe commemorem? An ne id forſitan eſt obſcurum, atque reconditum? Quocirca huc animi, huc mentes, huc omnia ſua conſilia, & cogitationes Chriſtianis Principibus dirigendæ ſunt, vt videlicet amota omni contentione, omniq; odio depoſito, paci, qua nihil in terris eſt melius, nihilq; optabilius, perpetuo ſtudeant. Accidunt perſæpe (fateor) inter eos, multæ & grauiſſimæ controuerſiæ, quæ nulla alia ratione dirimi poſſe videntur, quàm bello & armis. Cæterum omnia prius tentanda, quàm vt res huc deueniat, adeò vt non niſi coacti, & inuitiſſimis animis, ad bellum pertrahantur. At ſi tandem aliquis eorum, extrema neceſſitate coactus, in alterum arma ſumpſerit, nec alia uia ius ſuum tueri poſſit, haud equidẽ inficior, illud bellum eſſe legitimum, nec humano, vel diuino iuri aduerſari. licet enim, idq; natura omnibus innatum eſt, ſeipſum defendere ac illatas iniurias propulſare, ſed tamen diligenter, ac

ſedulò

sedulò cauendum est, ne ipsi primi sint, qui cæteris vim inferant, belliq; occasionem præbeant. Id enim vt plurimum ex nimia regnandi cupiditate, atque ambitione oriri solet. Si vero mutua illorum odia eousque processerint, vt manu decertandum sit, & Martis alea obeunda, non tamen idcirco (etiam postquam dimicatum est) omnis spes de conciliatione abijcienda, quinetiam in medijs armis, inq; ipsa rerum desperatione aliquando accidit, vt pacis conditiones propositæ receptæ sint, atque vbi antea summum odium erat, summaq; animorum alienatio, ibi tandem maximus amor, summaq; reconciliatæ uoluntatis coniunctio, & sincerissimus veræ fidei candor extiterit. Sed quid opus ista commemorem? Nemo est animo tam fero, nec tam ferrea natura, qui non interdum ipsa humanitate pungatur, moueaturq;, nec est etiam ullus, tanta ira percitus, qui nequeat uel ratione placari, vel animi demissione mansuescere. Quid ergo sperandum de illis est, qui inter bonos mores & sancta instituta enutriti, legibus & iustitia supremum dignitatis gradum adepti sunt? Non ne credibile est hos (licet maxime iratos) leniri posse, ac licet superbissimi, quàm mitissimos reddi? Profectò vt natura prima & vera magistra nostrorum affectuum calidas illas fauillulas, in nobis ab initio sparsit, per quas quidem tam facile ad iram, & vindictam accendimur, sic etiam illa dulcia semina in

nobis

nobis plantauit, quæ nos ex omni tempestate, ac turbine in dulcissimam quandam serenitatem, ac mansuetudinem redire facit. Bella quidem geruntur, non vt semper in illis viuatur, sed vt per bella, pace fruamur. Etenim si ex uno semper alterum nascitur, & secundum surgit ex primi seminibus, quis vnquam esset discordiarum finis? Quando vnquam homines dulcissimos, ac optatissimos pacis fructus perciperent? non dubium est quin hos persæpe impediat quædam in primis honesta ambitio, deinde modus & conditiones ineundæ pacis. Regnat enim semper in magnis principibus, & in mentibus potentissimorum Regum, quædam opinio, ne vnquam sint primi, qui cæteris inferiores videantur, existimantes forsitan multum illi decedere de sua dignitate, & amplitudine qui primus flectitur ad petendam pacem. Hinc etiam vnusquisque cogitat (vt est hominum natura) qui possit meliores vtilioresq; conditiones pro se suoq; Regno habere. Sed tamen hæ difficultates facillime ab his vincuntur, qui mentem non alienam à pace circumferunt. Sicut enim hactenus plerunque accidit, bellicæ controuersiæ (licet maximæ ac plurimæ sint) dirimuntur vel virtute alicuius rectæ iustitiæ, vel iniuriæ compensatione cum altera, hæcq; ratio cum altera comparatur, vel saltem pro minori damno, vtq; finis imponatur maioribus miserijs, alter alteri concedit aliquid de suo iure, pro-

ut

ut sapientibus hominibus pro rei magnitudine conducibile videtur. Cæterum inter pios Christianosq; principes qui primus est auctor componendarum rerum, quique propensiori animo est ad pacē amplectendam, etiam si non per omnia, sibi conditiones placeant, is omnino sempiternis laudibus in cœlum usque ab hominibus feretur, immo etiam multo magis à Deo, qui vt perfectissimus bonorum operum perscrutator, in vtraque vita maioribus donis ea remunerat. Nec enim huiusmodi principis pietas parui æstimanda est, at potius maxima & eximia censenda, qui publica commoda, priuatis anteponat, malitq; pacem vel mediocribus, ac etiam interdum iniquis cōditionibus, quàm in causa esse vt omnia cædibus, latrociniys, & innumeris calamitatibus repleantur. Quid dicam quantopere sit in eo commendanda religio? Cum enim homines belli tempore fiant scelerati, Deiq; ac omniū rerum cœlestium contemptores, cumq; vera Christi fides, his martiys furoribus, non solum non defendatur, sed potius miris modis offendatur, & ob id iuste diuinitus affligatur: hæc ipse considerans, ne sit causa tot malorum, faciles aures iys præbet, qui eum ad pacem cohortantur, eamq; non modo sibi oblatam non respuit, sed etiam vltro primus eā postulat, modisq; omnibus amplecti cupit. Hoc itaque agentes, nonne maxima in Deum religione, maximoq; illius metu, suum animum imbutum


esse declarat? Quocirca huiusmodi principes qui hoc procurant, summis laudibus meritò efferendi, contra, valde vituperandi sunt, qui paci arma præferentes, in causa sunt, ut cœlum terræ misceatur, nihilq́; aliud in suis regnis, præter calamitosam faciem, omnium miseriarum appareat.



PETRI BIZZARI

ORATIO
PRO PHILOSOPHIA, ET ELOQVENTIA.

AD FRANCISCVM ROSSELLVM.





VENETIIS, M D LXV.



FRANCISCO ROSSELLO Comiti Bedfordiæ, Consiliario Regio, equestris ordinis, ac Præfecto Anglicanæ militiæ in Arce Baruicensi, uiro cum ingenio ac prudentia, tum pietate, candore, beneficentia, omnibusq; uirtutibus, quæ uere nobilem deceant, ornatissimo,

Petrus Bizzarus hoc breui scripto animi sui obseruantiam testatur.

Ad eundem.

Multos exornant tituli nomenq; decusq;
Quod Princeps casu vel ratione dedit.
Tu vero quicquid tituli, splendoris, honoris,
Quicquid & acceptæ prosperitatis habes;
Id totum illustras meritis Rosselle, tuisq;
Egregijs factis, integritate, fide.
Ergo etiam quæcunque olim continget habere,
Semper erunt meritis inferiora tuis.





PETRI BIZZARI ORATIO PRO PHILOSOPHIA ET ELOQVENTIA.





ERISSIMA *est illa dialecticorum sententia; Quæ inuicem aduersantur, nullo modo simul posse consistere. Hinc ergo cuiuis perfacile datur intelligi, (nobilissimi auditores) virtutem & vitia, cum inter se maxime opponantur, nunquam in eodem indiuiduo posse simul versari. Quisquis enim virtuti adhæret, eamq; sibi amplectendam statuit, huic sanè nihil antiquius est, quàm vt ocium, capitalem hostem alterius, vehementer fugiat, eiq; pro virili parte aduersetur. Hoc autem & vitio annexum, & indiuisum sibi comitem esse, tam planè perspicuum est, vt nulla omnino ratione probari indigeat. Hinc enim tanquam ex fonte, voluptatum illecebræ, inertia, inscitia, furta, homicidia, omnia deniq; scelerũ genera proficiscuntur &*

 manant.

manant. Quicunque igitur ſuas actiones ad laudis gloriam, nominisq; celebritatem, tanquam ad certiſſimum ſcopum, dirigere cupit, huic ſemper omni ſtudio ac diligentia cauendum eſt, ne uitam veluti pecora, ſilentio tranſigat, ocio deditus, ſed potius virtutem, qua nihil præclarius, nihilq; dignius homini à Deo tribuitur, toto pectore amplectatur. Nec enim fruſtra hic ſumus conditi, vtq; quotidie (ſicuti olim prouerbio dicebatur) inſtar Mileſiorum & Sybaritarum, hûc & illûc per forum & vicos vagemur, ſed vt continuo labore, pulcherrima nobiliſſimaq; naturæ dona, quibus ornati ſumus, in hac vita exerceremus. Hæc enim vt canem aptum ad indagandas capiendasq; feras, vt boues ad arandum, piſces ad natandum, uolucres ad volatum, equosq; ad curſum creauit, ſic etiam homines, duas ob res potiſſimum naſci voluit, primo, vt abdita & abſtruſa naturæ myſteria rimarentur & intelligerent, ſecundo, vt ea facerent, quæ digna eſſent poſterorum memoria. Hanc ob cauſam Seneca ſcite ac prudenter ocium eſſe ſimile morti, & viuentium ſepulchrum dicebat. Hoc autem veriſſimum eſſe, Turanius, quem Cæſar omnibus ſuis rebus præfecerat, perſpicuè declarauit. Hic enim cum iam nonagenarius, iuberetur ſui muneris onus deponere, atque à moleſtiis rerum gerendarum quieſcere, tanto ſtatim dolore ob id affectus eſt, vt in lecto decumbens, perinde ac

ſi

si è vita decederet, totam suam familiam lacrymis ac mœrore conficeret; nec prius cessarunt gemitus, querelæ ac singultus, quàm à Cæsaris humanitate atque clementia in eodem, quod antea gesserat, munere confirmaretur. Quis est tam hebetis ingenij, tamq; rationis expers, qui non videat & cognoscat ocium animos & corpora corrumpere ac eneruare, laborem autem ac exercitium, non solum homines cæteraq; animantia, sed etiam omnia quæ hic natura produxit, quàm diutissime tueri & conseruare? Cato quidem Censorinus, quem absolutum Imperatorem, senatorem & oratorem fuisse tradunt historici, dicere solebat, strenuis ac prudentibus viris omni ope nitendum, vt apud eos non minus ocij, quàm negotij fructus constaret. Si ergo maximam & insignem laudem consequimur, nos ipsos in præclaris actionibus exercendo, quanto nobis vitio ac dedecori vertetur, si ocium secuti uoluptati, luxui, socordiæ, cæterisq; huius generis, vitijs quàm turpissime seruierimus? Hinc Ennius, ocio (inquit) nescientem vti, vt decet, plus laboris & molestiæ suscipere, quàm multis et maximis negotijs implicatum. Hoc etiam, addebat ociosum & inertem ignorare quid agat, vel sibi velit, ac huiusmodi esse, vt eum vitæ persæpe tedeat. Eraclides Licius (vt memoriæ proditum est) potius laborem, etiam sine vllo fructu eligendum aiebat, quàm ocium. Quin etiam in historijs nar-

ratur, Amasim Egyptiorum Regem cum videret innumera mala quæ oriuntur ex ocio, tanto illud odio insectatum esse, vt magistratum ordinarit, qui quotannis vniuscuiusque vitam inquireret, ple neq; cognosceret, cuius artis ac exercitij præsidio, quisque sibi vitæ adminicula quæreret, & qui erant industrij ac diligentes, illos honoribus prosequebatur, qui autem ignaui & ociosi, morte afficiebat. Draco etiam qui leges Atheniensibus præscripsit, ociosis ac inertibus vitam adimebat, vtpote indignis qui ea fruerentur. Idem Nabathæos fecisse legimus. De Solone autem quid attinet dicere, cum non solum idem egerit, sed etiam lege prohibuerit, ne pater uitæ alimenta peteret à filio, quem nulla arte erudiendum curasset? Profectò si quis diligenter secum consideret, quanta sit vis & peruersitas huius perniciosissimæ belluæ, videbit fortissimum illum omnibusq; formidabilem Alexandri Macedonis exercitum, cuius incredibili robori ac virtuti nec flumina, nec maria, nec montes, nec syluæ, nec omnes aliæ asperiores naturæ difficultates aduersari ac resistere poterant, huius blanditijs, & nefandis impurissimæ Babyloniæ moribus XXXIIII dierum spatio sic eneruatum atque corruptum, vt si cum Dario tunc illi dimicandum fuisset, facillime deuictus, totus omnino interijsset. Lacedæmones autem viri (vt omnes norunt) maxima prudentia & rei militaris gloria præstantes, qui tam

varia,

varia, difficilia, tamq; aspera bella cum finitimis, reliquisq; nationibus gessere, ocium, ne illo corrumperentur, ita exhorruere, vt nullam aliam ob causam, statuam armatæ veneris in Templo collocarent, nisi vt ostenderent, fugiendas esse delitias & labori adhærendum, vitanda commoda, & militiæ incommoda suscipienda. Quid? Non'ne victores gentium Romani, quorum arma inuicta, etiam remotissimæ orbis partes olim senserant, quibus tot illustria trophæa, totq; inclytos & gloriosos triumphos, læti domum reportarunt, cum sæpe ob dissidia nata inter Plebem & Senatum, re ipsa didicissent, ac experti essent grauissima damna, quæ inde oriuntur, censores constituere, quorum seuera disciplina ociosorum vita corrigeretur? Videbant vtique hunc esse fontem atque originem omnium scelerum, ideoq; modis omnibus illi occurrendum, ne tota Respublica pessum iret. Quid dicam de infami vita Artemonis, Abronis, Sardanapali, Smindiridis, Vatiæ, multorumq; aliorum, qui uoluptatum illecebris allecti ac ignauia corrupti, in maximas tandem ærumnas ac miserias incidere? Cato (cuius superius facta est mentio) lucidissimum speculum Romanæ probitatis atque prudentiæ, cum iam esset morti proximus, astantibus amicis, nulla re alia magis dolebat quàm sibi vllũ diem in ocio periisse. Similiter, quàm acerbo animi cruciatu, quàm graui mœrore, quàm acutis & pungen-

pungentibus pœnitentiæ ſtimulis, generoſi Hannibalis pectus transfixum fuiſſe putandum eſt, quum in prima illa exactione tributi, quod Romanis dandum erat, in mentem ſubibat, ocioſa illa & diſſoluta vita, quam Capuæ tranſegerat, qua quidem magna ex parte lumen ſuæ gloriæ resq́; tam præclare geſtæ obſcurabantur, eodemq́; tempore ſibi ſummum dedecus, militibus damnum & infamiam, patriæ onus ac perpetuum ſeruitium afferri videbat? In hoc autem aperte cognitum eſt, ſolum ocium breui temporis interuallo id effeciſſe, quod Romani validiſſimis exercitibus & innumeris annorum ſpatijs efficere non potuerant. Idcirco Marcus Marcellus, quum milites adhortaretur, vt gnauiter ac ſtrenue dimicarent, aiebat inter alia. Ocium Capuæ idem nocumentum peperiſſe Carthaginienſibus, quod Romanis Cannæ. Hoc Gneus Manlius extimeſcens, perſæpe ſuum exercitum orabat, ne ſineret ſe delitijs & voluptatibus amenitatis Aſiæ corrumpi. hinc etiam Appius Claudius qui etſi ſenſu oculorum orbus erat, viuo tamen lumine rationis ac mentis etiam quæ remotiſſima erant proſpiciebat, ſæpenumero aiebat, populo Romano magis conducere, vt in aſſiduo belli labore ac exercitio verſaretur, quàm vt in ocio viueret. Etſi verò haud ignorabat quàm gratus & dulcis foret ſtatus tranquillitatis & quietis, tamen videbat magna Imperia negotijs, rerumq́; a-

ctioni-

ctionibus ad virtutem accendi, & nimia quiète ac securitate ad interitum properare. Eiusdem sententiæ fuit etiam Quintus Metellus Numidicus, qui cum de Republica dissereret, sapientissime ac prudentissime ausus est dicere in Senatu, se nõ posse intelligere num victoria contra Carthaginienses habita, plus damni, quàm vtilitatis Reipublicæ attulisset. Etsi enim pacem restituendo illi profuerat, Hannibalem tamen auferendo, nocuerat. Sicut enim eius transitus in Italiam Populi Romani virtutem consopitam et dormientem excitauit, sic etiam verendum erat, ne tam feri ac diri hostis metu liberatus, ad ociosum ac inertem pigritiæ somnum rediret. Quod sanè haud multo post accidisse, exitus declarauit. Nam vbi Carthagine deleta, hostilis formido mentibus decessit, statim ea, quæ secundæ res amant, lasciuia atque superbia incessere. Ex his autem orta sunt bella ciuilia, quibus tãdem Romana Respublica prorsus interijt. Sed quid ego tot exemplis vtor, in re tam conspicua? Quid pergo grauissima damna recensere quæ ab ocio procedant? Et quis ea possit animo secum euoluere, nedum verbis narrare? Pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum antiquitas. Equidem scio vos (præstantissimi auditores) plenissime intelligere, quemadmodum nihil est tam arduum tamque difficile, ad quod nõ aspiret ac penetret acies humanæ men

tis

tis, ita etiam citra induſtriam & ſolertiam, nullo modo ad earum rerum dignitatem ac excellentiã perueniri poſſe, quibus à uulgo & imperita multitudine quàm maxime ſeiungamur. Et quis ignorat Herculem non pigritia, non ocio, non ignauia, ſed labore, uigilia & ſudore ſibi aditum ad æternam gloriam comparaſſe, adeò vt inclytum eius nomen, omnium memoria, cunctisq́; ſæculis, futurum ſit æternum ac immortale? Idem proculdubio de his omnibus merito dicetur, qui Herculem ſecuti, gloriæ laude ſibi uitam ad poſteros propagarunt.

Quæ uero ea ſtudia ſint, quibus homines maxime inuigilare debeant, quibusq́; ad maximos honores perueniatur, hæc ſunt præcipua, uidelicet, ſapientia & elquentia, illa parens & magiſtra omnium bonarum artium quam Græci φιλοσοφίαν *uocant, altera cariſſima eius ſocia uel ſoror potius. Hæ ſemper arctiſſimo ac indiſſolubili uinculo amicitiæ iunguntur, ſic vt alteram ab altera diuidere perinde ſit, ac ſpiritum à corpore ſeparare, uel ſolem è mundo tollere. Non tamen ob id negarim fuiſſe ac etiamnum eſſe nonnullos qui omiſſis rectiſsimis atque honeſtiſsimis ſtudijs rationis, omne ſtudium et operam collocant in exercitatione dicendi, et ſecum præclare agi exiſtimant, ſi in ciuilibus controuerſiis, cauſisq́; forenſibus excelluerint. Cæterum haud loquor in præſentia de his, qui cum*

uniuſ

unius artis laude abundarent, altera caruerunt, quin potius de his, quibus integra laus obtigit utriusque, quorum ſanè & ſunt, & fuere ſemper aliqui, qui hoc egregie præſtiterunt. Fateor fuiſſe paucos (ſi aliorum numerum quis reſpiciat) ſed fuere tamen, ſuntq́; hodie, qui vtriusque ſtudium amplectuntur, ex vtroque non mediocrem laudem adepti. Nec enim hodie ullum Regnum eſt ſiue Reſp. in qua non uigeant aliqui ſapientes homines, qui iudicio ac ingenio polleant, quiq́; ſua graui & diſerta oratione, quod in regendo rectiſsimum atque optimum eſſe perſpiciunt, non ſuis principibus perſuadeant. Horum certè aliquando maior, aliquando minor eſt numerus, prout tempora magis uel minus fœlicia fuerunt. Ipſa quoque rerum natura etſi ſemper fœcundiſsima, non ſemper tamen producit optima, gaudet aliquando uel mediocribus ingenijs, vt per ea quæ ſunt excellentiſsima, melius cognoſcatur. Quocirca (vt eò redeam unde digreſſus ſum) etſi multi eruditiſsimi ac diſertiſsimi uiri multa de philoſophiæ ac eloquentiæ laudibus, olim ac etiam noſtris temporibus, præclare dixerunt, quotq́; nobis vtriuſque ſtudium præſtet commoda & beneficia, clariſsime oſtenderunt, ego tamen hæc paucula mihi modo dicenda ſtatui.

Sunt hic (haud nego) plurimi, qui de hac re longe melius, quàm ipſe, poſſent diſſerere. Et ſanè (quò ad me attinet) maluiſſem illos audire, quàm

de

de re tanta, apud vos verba facere. Sed præcipientis amici auctoritas, tanti ſemper apud me fuit ponderis, vt ei (præſertim cum tantopere inſtaret) nihil denegare potuerim. Si quid ergo minus accurate minusq; ſplendide & pro rei dignitate, à me dicetur, ſpero, vos, (quæ veſtra eſt humanitas) mihi facile condonaturos. Dicam igitur aliquid in primis de priori parte, & dicam quàm breuiſſime à me res tanta dici poterit. Deinde nonnulla de hominis oratione, quomodo recta ratione regatur, & verborum ornamento ac ſplendore illuſtretur. Nec ſanè id facio, vt vos ad hæc tam præclara & laudabilia ſtudia capeſſenda, his verbis horter, cum veſtra ſponte, ſatis ad ea incitatos uideã, ſed vt potius in eis, veſtras laudes & gloriam agnoſcatis.

Hac eſt inquam illa præclariſſima virtus, cuius ductu & auſpicio certiſſimum iter ingreſſi, veram felicitatem aſſequimur. Hæc à nobis tenebras inſcitiæ ac errorum expellit. Hæc nobis lumen porrigit, quo veri notitiam indagemus; quo quidem dono quid homini à Deo præſtantius atque vtilius dari poteſt? Hæc nos vitijs exutos, induit honeſtate. Hæc bonas leges inuenit, mores inſtaurat, bonarum artium ſtudia illuſtrat, vrbes condit, pacẽ retinet, hominum quietem conſeruat. Hæc denique ſola eſt, qua noſtri animi ad pulcherrimam cœleſtis Regni contemplationem erecti, apertiſſime cognoſcunt re-

rum humanarum instabilitatem, & inconstantiã, adeò vt per illam quodammodo (vt nostra fert imbecillitas) Deo quàm simillimi reddamur. Hæc nobis in ærumnis affert solamen, in cupiditatibus moderationem, in secundis rebus ornamentum, in aduersis refugium. Hæc etiam efficit, vt nec fortunæ varietatem, nec tyrannorum sæuitiam, nec impendentis fati necessitatem extimescamus. Quin potius vt eius patrocinio tantæq; Reginæ maiestati innixi atque suffulti, eiusq; præceptorum opera in nobis ipsis vndique stabiliti, in omnibus periculis & aduersitatibus, instar firmissimi scopuli, semper immobiles, indefessi ac inuicti, perpetuò remaneamus. Hæc sunt præclara illa beneficia, hi sunt nobilissimi fructus, quos nobis parit sapientiæ studium. Nec sanè video quodnã aliud in terris huic meritò comparetur. Num forsan studium rei medicæ? At quanto anima est nobilior corpore, tanto hæc medicina præstantior: illa enim inuenta est, vt per eam corpora sanentur & conseruentur; hæc vero singulari quadam & speciali gratia homini à Deo concessa est, vt animis mederetur, & in quauis necessitate illis adesset. Et quemadmodum ager quantumuis bonus & ferax, nisi diligentia excolatur, nunquam erit fructuosus; ita etiam noster animus citra disciplinarum opem semper erit sterilis, horridus, aridoq; squalore plenus.

Atqui uera nostrorum animorum cultura, sola est

eſt Philoſophia, quæ peruerſarum opinionum radi ces euellendo, & prauarum affectionum fontes extinguendo, ſpargit in nobis ea ſemina, quæ tempore adulta, vberrimos ac ſuauiſſimos virtutis fructus producunt. Huius ope, qualitates & vim elementorum, non eorum quidem quæ pueri diſcimus, at omnium rerum parentis naturæ, cognoſcimus, quidque nobis neceſſe ſit inuenire, diſponere, meminiſſe, & cum dignitate verborum exprimere. Huius, vtpote ſubtiliſſimæ ac vigilantiſſimæ indagatricis veri, adiumento, cognita ab incogni tis & certa ab incertis inueſtigamus atque diſcernimus. Per hanc, oculo & lingua noſtri animi, quæ ſunt à ſenſibus remotiſſima, propinqua cer nimus & numeramus. Per hanc, omnes partes animæ noſtræ admirabili quadā harmonia ſimul conſentiunt, tamq; ſuaui concentu actiones verbis temperantur, vt Apollo & Amphion, qui ſono vociſq; modulamine ad ſe (vt Poetæ referunt) ſaxa trahebant, ipſimet ad ſuauiſſimum dulciſſimæ huius harmoniæ concentum lapides fierent. Nec tantum huius auxilio ampliſſima pelagi ſpatia in noſtris cubiculis metimur, ſed etiam (quod multo maius eſt) nos ipſos, citra vllum errorem. Ad hæc, huius fidiſſimo ductu, ingentia cœli mœnia cir cumambientes, percipimus clareq; comprehendimus, quomodo Sphæræ moueantur, & quæ ſit natura, magnitudo, quis'ue curſus illorum fulgentiſſimo-

tissimorum luminum, ac præcipue Solis, & Lunæ,
vnde annus regatur, & vnde tot vicissitudines re-
rum, tamq; varij & admirandi effectus proue-
niant. Hæc denique (vt multa breuibus ample-
ctar) illa est, cuius vel minima gratiæ sui spiritus,
in uela nostræ mentis aura, nosq; oculos fixos in re-
bus cœlestibus habentes, per hunc rapidum torren
tem transimus, ad hæc terrena perinde ac si non
essent, conniuentes, prosperoq; cursu ad verum &
securissimum felicitatis portum peruenimus. At
quo mea mens rapitur sterilis, ieiuna & inepta,
balbutiens, eius admirabiles vereq; stupendos &
incomprehensibiles effectus, ac si nescirem, nemi-
ni vnquam fuisse vel fore tantam dicendi faculta-
tem & copiam, vt de infinita & inæstimabili eius
nobilitate ac potentia locutus, non fiat prorsus elin
guis & raucus? Quis autem est ita rudi ac stupi-
do ingenio, qui non intelligat, quicquid à mortali-
bus animo concipi, dici, & scribi possit, nihil pro-
pemodum esse, si vero comparetur? Non video
(me miserum et ineptum) quàm sim indignus, qui
vel hiscere audeam, nedum de præstantissimæ ac
sanctissimæ huius Deæ laudibus, quicquam sperem,
pro eius amplitudine ac merito vel minima ex par
te dici posse. An forsitan ipse sum ignarus, eam
per se laudabilem esse, nulliusq; voce ac præconio
indigere, ac etiam vt Oceanus, etsi in suo uastis-
simo sinu tot riuos & flumina colligat, non tamen

rea illum fieri latiorem, at seipso contentum esse, ita sanè hoc altissimum gloriæ pelagus, & si omnes laudes, quæ sibi ab eloquentissimis quibusque tribui possent, cumulatè reciperet, nunquam tamen illud fieri gloriosius nec immensius, at in seipso quàm maximè acquiescere? Scio equidem finiti ad infinitum (vt dicitur) nullam esse proportionem. at etiam scio quòd vt pura illa, immensa, eternaq; lux, omnis lucis donatrix, haud respuit hominum vota, quæ sibi ex demisso corde offerantur, sic etiam hæc benignissima & mitissima Dea (quæ sola est uerus honos, vnde reliqui honores proueniant) haud sanè dedignatur vel minimam laudem, quam in eius honorem, exiguum ac pertenne hominis ingenium illi offerat. Sed tantum uereor, ne dum ipse sapientiam omnis propemodum sapientiæ ignarus, celebrare, ac eius laudes recensere conor, sapientissimum vestrum animum asperitate ac duritie meorum verborum offendam. Spero tamen hæc vos qualiacunque fuerint, cum illius reuerentia (quæ semper in vobis fuit maxima) tum singulari vestra humanitate boni consulturos, hosq; rudes ac indigestos lapides extractos ex ditissima vena purissimi eius metalli, examinantes, ac igne rationis expurgantes, purum aurum inde solum extracturos, terrestribus vilibusq; partibus, quæ sunt mea rudia & inculta verba, vbi absconditur, omissis, non secus quàm in minerabilibus venis, purum

sincerumq́ aurum, ex durissimis lapidibus, uirtute ignis, elicitur. Hæc de prima parte mihi modò in mentem veniunt. Superest, vt aliquid etiam de altera dicatur.

Quicunque humanæ vitæ præcepta tradidere, hominesq́ ad philosophiam hortati sunt, in eius cohortatione studium eloquentiæ coniunxere. Videbant enim illam quodãmodo mancam esse et imperfectam, nisi etiam de hac uerba facerent, hominesq́ ad idem studium hortarentur. Et sanè si verum fateri volumus, quid nobis prodesset tot sudoribus & vigilijs cognitionem scientiarum adeptos, si deinde lumen ac ornamentum eloquentiæ nos deficeret? Profectò essemus instar eorum qui maximum thesaurum domi habentes, illo quum sibi maxime opus est, vti nesciunt. Certe si cuiuslibet artis quam liberalem appellant, munus & naturam inspexerimus, haud dubie inueniemus, nullam esse vtiliorem, & magis propriam hominis, magisq́ necessariam. Nec enim solum corporis effigie nos à belluis differre facit, sed etiam efficit, vt ratione duce ac præeunte, res et prudenter exquirere, & distincte ac ornate eloqui, nostriq́ animi conceptus cum laude efferre ac exprimere possimus. Quod quidem interdum à peritis ac excellentibus viris tanta vi ac vehementia fit, vt etiam pertinacissimas hominum mentes ab illis longè alienissimas, dulcissima quadam suauitate ad eorum

voluntates alliciant. Quocirca neſcio quæ felicior conditio, quæ vita ſuauior, quod'ue ſtudium ampliori laude dignum cenſeri debeat, quàm illius qui ſcit & poteſt grauitate ſuæ mitis & artificioſæ orationis, auribus tenere ſuſpenſam audientium multitudinem, dulciumq́; verborum lepore allectos, quocunque velit, impellere. Itaque optime dixerunt Sophocles ac Euripides, orationē omnium rerum Reginam eſſe. Cicero quoque affirmat, ingenij lumen ac ſplendorem, eſſe eloquentiam, vt præcipuum hominis ornamentum eſt ingenium. Hac itaque ſi rite adq́; illum honeſtum et laudabilem finem, cuius cauſa prius inuenta eſt, homines vtantur, ſemper in quauis Rep. bene conſtituta, erit ſingulare decus & adiumentum. Siquidem plurima illi præſidia & beneficia poteſt afferre, vt etiam viciſſim plurima damna & pericula propulſare. Huiuſce rei (vt hic cum cæteris Græciam nunc omittam) veriſſimum ac euidentiſſimum nobis exemplum Roma præbuit, eo tempore, quo regibus expulſis, plebs ira percita, & armata in ſenatores, tota vnanimis cucurrit ad ripam Tyberis. Tunc ſanè ſtatus vrbis non ſolum erat infelix ac deformis, verumetiam longe miſerabilis & deplorandus, adeò vt tanti Imperij lumen, ac ſpes omnis extincta penitus interijſſet, niſi ſtatim imminenti periculo prudens, Menenij Agrippæ prudentia ſuccurriſſet ac præſenti malo

remedium attulisset. Is enim dexteritate suæ grauissimæ ac ornatissimæ orationis, concitum populum nouaq; & insolita libertate gestientem, ad meliora & saniora consilia reduxit, illum sub senatus obedientiam & legum obseruantiam redire faciens. Quot, quamq; laudabiles, honorificas, utilesq; res olim Cato sua graui eloquentia persuasit? Quot Galba, quot Antonius? quot Crassus? quot Hortensius? quot Cicero? Quis Athenienses, ut imperio Pisistrati subderentur, induxit? Quis Themistoclem iusto Aristide superiorem effecit? Quis eidem vitam seruauit, quum ante Regis Persarum sui capitalis hostis præsentiam ducebatur, nisi vis eloquentiæ? Quis præter hanc, Publium Africanum. XXIIII. annos natum, grauissimo bello, quod in Hispanijs gerebatur, præfecit? Quis causa fuit, ut atrocissimis hostibus Marci Antonij è manibus arma caderent? nulla certè alia vis, quam diserta & facunda oratio. O eloquentia, dignissimum ac pretiosissimum Dei donũ, quæ hominum animis frenum inijciens, efficis, ut tanto reliquis hominibus præstet, quanto ipsi bestijs antecellunt. Quid opus est commemorem acumen Hyperidis, puritatem Isocratis, amplitudinem Lysiæ & maiestatem Demosthenis? Nostis ipsimet in quanta existimatione, honore, ac pretio uixerint, propter excellentem eorum eloquentiam apud omnes. Cæterum cur tacito silentio inuoluam

admirandã illam & diuinam potius quàm humanam Periclis eloquentiam? Hic enim tam ardens & vehemens erat in sua oratione, vt non modo senatus Atheniensis, verum etiam omnis Græcia, eum audiens, in stuporem uerteretur. Si quidem tanta inerat in eius oratione grauitas, elegantia, suauitas, vt perinde ac si eius vox, eloquentiæ vox fuisset; omnes crederent suadam quam Græci πειθῶ appellarunt, in eius labijs domicilium sibi et sedem constituisse, tanta dignitas & vis dicendi, vt tonans & fulgurans (vt inquit Aristophanes) aculeos & impressiones in animis auditorum relinqueret. Quid igitur mirum si in administratione Reip. Atheniensis, annos quadraginta principatum tenuerit, omniaq; ibi suo arbitratu gererentur? Vergilius quidem inter Latinos (vt Homerus inter Græcos) Poetarum facile princeps, eloquentiæ fructum his verbis expressit.

Ac veluti magno in populo cum sæpe coorta est
Seditio, sæuitq; animis ignobile vulgus;
Iamq; faces, & saxa volant. furor arma ministrat.
Tum pietate grauem, ac meritis si forte uirũ quẽ
Conspexere, silent: arrectisq; auribus astant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.
Sic cunctus pelagi cecidit fragor.

Hæc est igitur, hæc inquam est illa pulchra, honorifica, vtilis & plena commodorum facultas, quæ nunquam non præsto adest, parata pro nobis, pro

amicis,

amicis, pro patria. Quæ domi forisq́ꝫ, in pace, in bello, in ocio, in negotio, in diuitijs, in paupertate, omni tempore, ac vbique nos fidissime comitatur, defendit, ornat. Hac timidos excitamus, fortes confirmamus, insolentes retundimus, ad iram concitamus, ad odium prouocamus, ad misericordiam commouemus. Hac solamur afflictos, opitulamur miseris, succurimus oppressis, malos punimus, probos, ac innocentes tuemur. Hac inquam, Alexander, Milciades, Epaminunda, Hannibal, Cæsar, Alcibiades, Pompeius, Fabius Maximus, & plurimi alij clarissima militiæ lumina persæpe tumultus fortissimorum exercituũ compescuere, illosq́ꝫ induxere ad incredibiles labores tolerandos, ad aspera quæque & difficilia naturæ opera superanda, ad manifesta pericula obeunda; quin etiam effecere, vt animo constanti, ac intrepido, ipsam mortem, quam vt omnium terribilium, extremum plerique metuunt, prorsus despicerent. Et quid aliud sibi uult celebris fama illius Herculis Gallici, ex cuius lingua (vt dicitur) exibant tot aureæ catenæ, quibus ipse per aures maximam auscultantium hominum frequentiam, & concursum, ad se trahebat, nisi eius admiranda & efficacissima uis in persuadendo? Pari ratione, quid sibi aliud inferre uoluit suauissimus ille concentus Amphionis, Orphæi, Lini, aliorumq́ꝫ excellentissimorum Poëtarum, de quibus narra-

tur, feras eorum cãtu mites ac manſuetas redditas fuiſſe, lapides è ſuo loco dimotos, flumina ſuos curſus firmaſſe, nemoraq́; & ſyluas, ut homines, ambulaſſe, niſi eorum ſtupenda & admirabili eloquentia homines illos rudes, ſylueſtres ferosq́; & immanes ad ciuilem conſuetudinem & placidum uiuendi modum, eiusdemq́; cum uoluntatis tum legum conformitatem traductos? Enimuero quum ipſe mecum diligentius conſidero, citra huius nobiliſsimæ facultatis opem, atque præſidium, nullam eſſe artem uideo, quæ plenè & abſolutè ſuum munus exequatur, quin potius omnes mutas, elingues, ac ſine uoce in ſpiritu, adeò ut res ingenioſe, prudenter, ſciteq́; excogitatæ, prolatæ ac in publicum productæ, niſi eius ſplendor dignitasq́; accederet, præſenti luce ac omnis poſteritatis memoria deſtitutæ, perpetuis obliuionis tenebris, & caligine inuoluerentur, ibiq́; conſepultæ iacerent. Quàm multi uiri ſingulari doctrina & rerum cognitione præditi cum ſuperioribus tum noſtris temporibus extitere, qui cum neſcirent apte ac diſerte quod animo ſenſerant, proferre ac eloqui, nullà ſolidæ laudis gloria inclaruere. Cæterum ne ueſtras aures (præſtantiſſimi auditores) longiori ſermone detineam, hoc breuiter dixerim, ut homines à brutis animantibus ratione ac oratione differunt, ita etiam qui ſcit & poteſt luculenter, apte, diſtincte ornateq́;, & iuxta decoram, temporis, loci, negotiorum &

personarum oportunitatem, de quouis argumento & materia disserere, illum non modo gradu, auctoritate ac merito reliquis perferendum, sed etiam instar diuini cuiusdam numinis, iure ab omnibus perpetua obseruantia suspiciendum esse. Dixi.

Petri

VGLIELMO Cecilio à ſecretis Sereniſsimæ Angliæ Reginæ, ac eidem è ſecretiori conſilio, uiro in bonarum artium literis, peroptime uerſato, in rebus gerendis per quàm ſolerti, fide, integritate, ac uitæ innocentia laudatiſsimo, Petrus Bizzarus has duas orationes dicauit.

Ad eundem.

FAMA refert humeris quod cœlũ ſuſtinet Atlas
Parq; oneri tanto ſuccubuiſſe nequit.
Tanta tibi eſt grauitas, eſt & prudentia tanta,
Vt quiduis digne ſuſtinuiſſe queas.
Et ſi igitur multorum ope conſilioq; regatur
Anglia, nemo tamen vtiliora dabit.





AEMILII ACCVSATIO.




NTIQVISSIMA *semper in omni Republica ritè instituta consuetudo fuit, ut si quis graue aliquod facinus, vel nefarium scelus in quoquam deprehenderit, illum non priuatim, nec inter paucos calumnietur, sed publice & apud Magistratū accuset. Vt enim falsa fictaq; criminatio delinquentem potius irritat, quàm cohibet, paritéq; priuatas inimicitias, & multa dissidia in Republica, sic sanè accusatio, maximam partem hominum in officio retinet, quos quidem cum pudoris ratio, tum propositæ pœnæ metus deterret, & illum qui falsò accusatur, legum auctoritas contra Accusatoris odium & maleuolentiam ab omni prorsus iniuria tuetur atque defendit. Quare inter cætera præclara huius Academiæ instituta illud maximo*

pere

pere commendandum eſt, in quo ſingulis nocentem accuſare libera facultate permittitur. Hinc enim fiet, vt homines ab his quæ minus decent, diligentius caueant, cum ea lege aditum dari accuſatoribus, debitaq́ pœna & ſupplicio ſcelera puniri animaduertant. Nec facile exiſtimabunt ſua commiſſa cœlari poſſe, quum uiderint, ſe tam multos habere ſuarum actionum inſpectores, nec minus ueniam ſe impetraturos, quum non modo leges piè ac religioſè proponi, ſed etiam ſeuerè ac diligentiſſime cuſtodiri. Hoc ſanè ſi Aemilius, qui vobis hactenus à ſecretis fuit, ſecum accuratè conſideraſſet, minime forſan (vt fecit) tam graue delictum admiſiſſet, nec vnquam publicas leges, contempto Magiſtratu, corruptis ſanctiſſimis inſtitutis, hacq́ nobiliſſima ſocietate violata, & ſe (præter priuatum damnum) perpetua labe polluens, tam horribili audacia contempſiſſet: Nec illum ipſe præter meæ vitæ naturæq́ conſuetudinem vt alicui obeſſem, nunc cogerer accuſare. Nolim autem vt quiſpiam exiſtimet, me ulla eius inuidia, priuatæq́ alicuius iniuria, qua ille me offenderit, vlciſcendæ libidine, vel ambitione, gloriæ ue cupiditate, ad hoc moueri atque impelli, at ſolum recti honeſtiq́ amore, noſtrarum legum obſeruantia, huiuſq́ nobiliſſimi cœtus, quem hic auſu temerario peruertere, deprauare, contaminare, ac diſſipare tentauit, conſeruandi ſtudio & propenſiſſi-

ma mei animi voluntate, huc accessisse. Id autem verissimum esse, cuiuis uestrum facile constabit, si (vt reuera est, maximiq; momenti ac extremi cuiusdam discriminis) vos etiam, quò plenè rem cognoscatis, & cognitam corrigatis, benignas attentasq; aures mihi præbueritis. Non est mihi animus recensere, quot & quanta beneficia hæc nostra Academia in eum contulerit. Sunt enim, & plurima & maxima, ob quæ illi arctissime deuinciebatur. Fuit enim priusquam vlla in re de ipsa benemeritus esset, perliberaliter ac humanissime ab ea exceptus, opinione sola & spe, quam de ipsius virtute conceperant. Id uero nulli hactenus contigit, nisi aliquo egregio facinore ac honorifico testimonio alicuius rei laudabiliter gestæ se dignos antea præstitissent. Is deinde intra breue tempus iuxta optimas & præclarissimas Reipublicæ Vestræ sanctiones ad supremum locum, quem prius ne somniarat quidem, una omnium uoce fuit euectus, hac forsan in re modestus, quòd se tanto dignitatis gradu et honore penitus indignum censebat. Hinc ergo facile intelligitur, quàm eximio munere quàmq; singulari beneficio sit à uobis affectus. Tunc enim eius nomen per se antea obscurum, inclarescere, tunc eius fortuna, quæ antea semper in tenebris latuerat, ad maxime sublimem dignitatem cœpit efferri. Tandem cum uestra uirtus denuo emergere, caputq; iam extollere cœpisset, uos

illum

illum singulari quadam & incredibili humanitate uniuersæ uestræ Academiæ præfecistis, quin etiã à secretis & quidem in perpetuum, nullo uel die uel tempore interposito. Etenim cum reliqui uestri magistratus, ut singulorum uirtuti debitus honos tribuatur, intra mensem finiantur, hic solus nullis cãcellis interclusus idem perpetuò remanet. Quid plura? Huic soli fidistis leges, decreta, ritus, historias, annales, & sanctissima uestra mysteria, rati eum præ cæteris omnibus in illis tuendis, ornandis, conseruandis, & amplificandis quàm fidelissimum fore. Ex his ergo facile (ut dictum est) potest cognosci, quàm ob ista beneficia memori & grato in hanc Rempublicam esse animo, quantaq; fide atque amore, uel saltem aliquam eorum partem compensare debuisset. Nam etsi unumquenq; dedecet ingrati animi uitio laborare, illos tamen multo magis, qui uirtutem & bonarum artium studia profitentur. Sed non est meum institutum, de hoc in præsentia uerba facere, quoniam eius perspicua & peculiaria errata me (ut magis particulatim de illo loquar) uel nolentem extimulant,

Dico igitur (atq; horresco referens) ipsum nulla ratione habita sui muneris, nec uestrarum legum, nec iuramenti præstiti, nec etiam imminentis periculi, sanctissima & secretissima uestra mysteria patefecisse, polluisse, inquinasse. Æquum est igitur & maxi-

maxime conſentaneum vt à uobis (quod quidem pœnæ genus etiã longe mitiſſimũ cenſendum eſt) ad minimum, ex tot nobilium et excellentium uirorũ corona eijciatur, eiusq́; nominis memoria, tanquã hominis ingrati ac perperam agentis, hocq́; prome riti, perpetua ignomia & dedecore inſpergatur. Hæc, quum uerisſimis rationibus demõſtrauero, finem faciam, ſperans illum à uobis debita pœna puniendum, ſicuti eius grauia delicta & ſcelera exigere, iure merito, uidentur.

Quid ais Aemili? eſt'ne uerum te ſecreta uirtutis myſteria diuulgaſſe? Nihil reſpondet, quia nec poteſt ire inficias, nec palam confiteri audet. Profectò uerisſimum illud, conſcientia, mille teſtes. At nolo hanc meam ſententiam hoc ſuo ſilentio penitus approbari. Hoc enim ita manifeſtum eſt, vt nullo maiore indicio, nullaq́; magis uerisſimili coniectura, uel aliquo alio adminiculo indigeat. Proferte ea teſtimonia. Audiſtis quomodo iſte iactabat, ſe uelle promulgare abdita ueſtra conſilia, placita & decreta, quodq́; ipſi clam indicatum eſt, illud impudenti quadam temeritate cæteris euulgare? Quòd ſi oratio eſt interpres animi, quid hunc poſtea feciſſe, putandum eſt, niſi facta, conſimilia uerbis non honeſtis, addidiſſe? Et ſanè credibile eſt, eum, vt modò huic, modò illi obſequeretur, omni honeſtatis ac virtutis ratione poſthabita, id, ſolum ſecutum, quod cæca & inordinata libido ſuaſerit,

vſque adeò humanæ mentis ratio ſæpe decepta, & ſenſuum blanditijs huc et illuc aberrans, effrenatis eorum voluntatibus agitatur. Sed age progrediamur longius, vt eius crimen multo apertius detegatur. Recita alterum teſtimonium. Teſtimonium. O ſingularis impudentia. O impudens arrogantia. O miſera infelixq; virtus, quam ſic crudeliter produnt, quos tu in tuo ſinu excepiſti, aluiſti, honoraſti. Audiuiſtis quomodo non tantum ueſtra myſteria enunciarit, verumetiam, à ſeipſo ſuaq; peruerſa natura incitatus, à nemine rogatus perſuaſusq; fuerit, vtq; ipſemet vltrò ſeſe obtulerit, ea ſe velle cæteris aperire, oſtendere, promulgare. Iam exiſtimo nullum ex vobis amplius hæſitare, quin potius arbitror ſingulos ex his qui adsũt, peroptime intelligere, hunc, ueſtras leges deprauaſſe, promiſſis non ſtetiſſe, ſacros ritus ac cæremonias uiolaſſe, huiusq; maieſtatem Imperij profanaſſe.

Quare niſi foret ſumma ueſtra modeſtia, ſumma quadam & incredibili virtute coniuncta, equidem non dubitarem, quin eum quilibet veſtrum protinus iſthinc exploderet, eijceret, omniq; genere iuſtæ vltionis, in eum animaduertere ſtuderet. Cæterum, vt quæ ille egerit, magis in propatulo ſint, ſoleq; in meridie clariora, legatur eius Chirographum quod ſcripſit Ualerio. Agedum perpendite modò huius non ſolum impudentiam, ſed etiam extremam imprudentiam, qui cum omnino

ſtatuiſſet.

statuisset vestris decretis ac legibus aduersari, eaq; facere quæ uos tam sollicite ac seuere prohibuistis, tantoq; odio prosequimini, ea tamen ipse suo Chirographo asseruit, & clarissimo testimonio confirmauit. At firmissime credo, Deum iustissimum vltorem humani sceleris, illi oculos mentis ademisse, quò minus ea quæ impiè ac scelerate gessit, occultaret, vel dissimularet; sicq; omnibus iam notus qualis foret, meritas suorum delictorum lueret pœnas. En itaque videtis, vt virtutis arcana detexerit, ex eaq; parte incœperit, quæ magis periculosa est, & grauioris momenti. Ex his rebus, inquam, cœpit, quas nobilissimum Quinti Scipionis ingenium peperit, ad stabilimentum virtutis, eiusq; perpetuam amplitudinem. Hic enim suo felici & nunquam interituro calamo, huius nobilissimæ societatis ortus, incrementi, & conseruationis historiam subtexens, efficiet, vt (sicuti spero & auguror) vestra virtus, omni æuo duratura sit, & perpetuis laudibus celebranda. At minime decet ante tempus (quod etiam lex præcipit) emittere partus, modò subnascentes, nec minus acerbos fructus ex arbore, priusquam maturescant, decerpere. Hinc enim virtutis & gloriæ maiestati grauissima sequuntur damna. Quocica eò grauiores pœnas (mea quidem sententia) meretur, quò nullum facinus admittere poterat grauius, quodque in maius Reipublicæ detrimentum cederet. Princi-

pum errata sunt, non exercere iustitiam, & qui illorum ditioni subduntur, nimiis exactionibus onerare, immanem esse, non audire, qui ad eos confugiant, populi commoda negligere, nec illius miseriis commoueri. Cæterum nos, Dei beneficio, semper liberalissimos et prudentissimos principes hactenus habuimus, & is, cui modo paremus, huiusmodi est, ut in eo non una insit virtus, at innumeræ & maximæ conspiciuntur, ac etiam tanquam fulgentissimum sydus eluceant. Illius autem qui est à secretis, primus ac præcipuus error est fidem violare, sui principis arcana uulgo prodere, suiq; ipsius nomen polluere. Nec aliam ob causam hoc illi nomẽ inditum est, nisi ut in eo sit summa taciturnitas & silentiũ, præcipue in iis quæ suæ fidei committuntur. Equidem existimo veteres fabularum inuentores illo suo fictitio commento de Minotauro incluso in Labyrĩtho nihil aliud sibi uoluisse, nisi ut innuerent prudentibus uiris arcana consilia tegenda, ne cæteris innotescant. Et sanè si quæ grauiora sunt, illi tanquam fidelissimo aperiuntur, ut primum reliquis ea communicat, desinit esse humanus, fidelis, integer, gratus, ac memor sui muneris, fitq; statim inhumanus, infidus, ingratus, amens, impius, & omni genere vitiorum plenus, omniq; labe qua cuiusuis animi pulchritudo in maximam turpitudinem ac deformitatem trasmutetur, inquinatus. Nec is duntaxat dignus est amplius

plius hoc titulo (quod quidem ita perspicuum est, ut tenebras non uocandas esse lucem, nec ignem gelu) sed etiam nec dignus hominis uocabulo censendus. Nanque humanitate, fide, amore, grati animi laude ab eo sublata, simul etiam amittit quicquid habuit hominis à natura, longè humiliorem naturam indutus, videlicet ferinam, belluinam, sineq; ratione, ac sensu illius notitiæ, quam Deus initio nostris animis impressit. Hinc igitur facile potest intelligi, quàm se indignum præbuerit hoc nobili studiosorum cœtu, cum vix hominis voce appellari, nedum inter homines uirtute præditos annumerari debeat. Profectò si recte secum cogitasset quanti referat sanctissima huius collegij arcana diuulgare & palam facere, haud dubium est, quin ipse interno quodam horrore perculsus, infinitis pauoribus repletus, varijsq; conscientiæ stimulis undiq; agitatus, prius pœnæ partem in seipso fuisset expertus, quàm ut tale tantumq; facinus ullo modo admisisset. Nam quod scelus atque flagitium grauius censendum? An forsitan ignorat in eo, qui huiusmodi officio fungitur, totum pondus residere omnium negotiorum, quæ principatus amplificant, minuunt, euertunt? Quis uero dubitat, quin eius fide ac sedulitate, principis honos & amplitudo augeatur, fiatq; illustrior; sicuti contra, illius incuria & perfidia labefactatur & corruit? Quocirca ob id eò magis puniendus est, quò magis

ob silentium laudari ac etiam præmiys affici debuisset. Pyrrho Epirotarum Regi Cyneas in hoc munere fidelissimum sese præbuit, ideoq; ab eo ad maximos & amplissimos dignitatis gradus fuit euectus. Vafer fuit Seianus Imperatori Tiberio valdeq; perfidus, dum illi esset à secretis, & idcirco maximas pœnas dedit suæ perfidiæ. Nec citra causam Egyptij in suis Hyeroglificis, eum qui hoc muneris obibat, in canis forma descripserant. Sicut enim huius natura est fidelem esse in suum herum, & reliquis asperum & intractabilem, latrare, mordere, neminemq; sibi pati appropinquare, sic sanè illius est, fidelissime se gerere in suum Dominum, in reliquos asperum esse, nulliq; nimis familiarem atque domesticum. Est enim haud facile inter has mollities, arctasq; necessitudines, fidem constantem ac integram tueri, vt Aemilius in præsentia suo exemplo satis aperte demonstrauit. Hic enim dum nimis obsequens in alios nimisq; officiosus esse studuit, nec uirtute, nec legibus, nec religione motus est, vt ab his, à quibus maxime sibi cauendum erat, abstinuerit. In primis enim sciebat, etiam extra hoc officium & prouinciã sibi demandatam, nihil eorum quæ hic fierent, vlli esse communicandum, sed omnia summa quadam fide ac silentio retinenda, ne virtus polluta, viliorq; reddita, in maximum, & apertum discrimen adduceretur; ne'ue ab inuidis & maleuolis cõtempta,
nullo

nullo pretio haberetur, maxima occasione accepta ab his quæ detecta sunt, ad eius ordines pertinentia. Num vobis ex animo excidit Valerium Soranum seuerissime olim à populo Romano punitum, ob id solum quia suum nomen secretum Romæ & diu antea in sanctissimis mysterijs consecratum reuelare ausus erat? Quanto maiori pœna hic afficiendus, qui non modo unicum nomen, sed etiam omnia uestra decreta quæ secretissime occultanda fuerant, detexit, enunciauit, aperuit? Hoc autem facinus ideo etiam grauius censendum est, quoniam initio huius uestræ virtutis renascentis admissum. In his enim principijs perinde est ac in nouo aliquo principatu, nouaq; Republica, in quibus uel minimus error, maximum parit detrimentum, estq; interdum causa omnis eius ruinæ atque interitus. Nunquam in exordio alicuius Regni, siue Imperij delicta etiam leuia ferenda sunt, quin potius grauiter ac seuere punienda. Alioqui adauctis erroribus, illud tanquam imbecillum corpus, cito corruet ac interibit. Neglexit etiam leges. Quas autem? Eas nimirum, quas ipse una nobiscum sanxit, quibus assensus est, quas etiam suo chirographo confirmauit, inq; publicis annalibus retulit, quæ inquã sibi tãquam fidelissimo credita sunt, ac traditæ in custodiam. O damnosum delectum. O malefidum custodem. O studiosorum infelix iudicium, qui summa uestra bonitate

adducti, & egregia quadam de illius indole ac virtutis opinione incitati, quæ uobis erant cariora & præcipua, credidistis. In primis autem vestra decreta, quæ ipse tam breui tempore uiolauit, deprauauit, contempsit. Sed forsan dicet, hoc minime in eis contineri. Recita ipse uerba legis. Lege. Perpendite quæso (iudices) quàm prudēti & maturo consilio, edicto cautum est, ne quis audeat extra hunc locum, quicquam omnino euulgare, quò illius dignitas & amplitudo conseruetur? Hic vero solus (vt dixi) tantum facinus aggredi ausus est, primus nullo freno verecundiæ, nullo magistratus metu, nulla denique legum reuerentia cohibitus, hoc statutum infringere. Inter priuatas Spartanorum leges, hæc erat vna ex præcipuis, ne quicquam ex his quæ in conuiuijs vel in priuatis colloquijs dicebantur, in vulgus à quopiam spargeretur. Hæc sanè lex fuit ab eis diu quam sanctissime diligentissimeq; obseruata, & in hoc studioso cætu præclarissimorum ingeniorum tam pulchris ordinibus inchoato, tamq; laudabilibus institutis ornato, ne breuissimo quidem interuallo (huius solius culpa) conseruari potuit. At uos (vt spero) pœnæ acerbitate, corruptam legem emendabitis, aspersam labem abstergetis, uestroq; afflatu & sapientia, nouum quasi spiritum nouasq; vires ei suggerentes, efficietis, vt uiuidior, ualentiorq; resurgat, quàm antea fuerit. Quid? Hic non solum

lum scriptas leges contempsit (quod quidem per se grauissimum est) at etiam viuas, idest vestros admonitus, vestraq́; documenta & præcepta uiolauit, & pro nihilo habuit. Et quis vestrum fuit, qui eum & initio, ac deinde sæpius non monuerit, vt diligens ac fidelis custos foret, eorum scriptorum, quæ à uobis ederentur, ne patefaceret, ne'ue ulli exemplum daret? Vestræ quidem sanctiones ac præcepta cum publica, tum priuata, non secus quam lex scripta, religiose obseruanda sunt, cũ illa ex alta & sublimi serenissimæ uestræ philosophiæ meditatione proficiscantur, et præcipue cũ scriptis legibus conformia sint, et cum denique nil aliud sint quam muta quædam Resp. vt etiã ipsa Resp. nil aliud est, quã lex loquens. itaque in uestris præceptis legem illi præscribebatis, quæ accuratissimè ab eo intelligenda & obseruanda fuerat. Cæterum is & uos & leges pariter contempsit, cuiuis legi ac instituto, suã libidinem præferens. At quid mirum si nullam humanarum rerum rationem habuerit, cum nec etiam diuinarum habeat, uidelicet religionis & accepti iuramenti? Cum enim serio ac religiose iureiurando promiserit, se uestris ritibus, vestrisq́; decretis obtemperaturum, easq́; pro virili obseruaturum, nihil minus tamen præstitit, quin etiam secus agens neglexit, omniq́; genere ignominiæ (quatenus in eo fuit) polluere conatus est, quodq́; sancte dijs promiserat, vt paucis obsequaretur.

tur, peruertit. Quid uos itaque agetis nobilissimi auditores? Qua pœnæ animaduersione tantum scelus corrigetis? Nullus hic locus clementiæ, pietati, misericordiæ, quin imò tunc eritis clementes, pij ac misericordes, quum eum seuerè punietis, contraq́; immites, impij, & crudeles, quum ignoueritis. Nec enim vnius pœna crudelitas est, at multorum conseruatio. Eius error punitus, plerosq́; alios emendabit, qui huiusmodi exemplo admoniti obedient legi, Magistratui, Principi, eorumq́; actiones erunt omnes honestæ ac laudabiles. Pari ratione, si eum inultum reliqueritis, hoc exemplum innumeros alios ad delinquendum incitabit, semita ceteris præmonstrata impune peccandi, vnde postea oriuntur dissidia, iniuriæ, rapinæ, contemptus reliquaq́; his similia, quibus non modo hæc societas, verum etiam quoduis regnum facile dirui ac euerti potest. Hinc Draco Atheniensium Legislator neutiquam innata sua sæuitia & crudelitate, sed potius mitissima quadam & accuratissima consideratione permotus est vt sanciret, minimi etiam delicti pœnā esse mortem, & propterea Demades dicebat Draconis leges non calamo (vt aliorum) sed sanguine fuisse conscriptas. Vltor enim vnius est conseruator plurimorum. qui sanè si improbi sint, metu pœnæ, neminem iniurijs lacessunt, si probi, eadem ratione a nemine iniurijs prouocantur. Quocirca

circa multò maior eſt pietas, qua tam multi conſeruantur, quàm crudelitas, vt nocentes condemnentur, maiusq; beneficium affertur tot bonorum conſeruatione, quàm demum rei vnius interitu.

Tres ob cauſas improbos legumq; contemptores iure puniendos eſſe, ſapientes olim demonſtrarunt. Prima, ut qui delictum admiſit, ſe ob illud puniri ſentiens, fiat melior cautiorq; in poſterum. Altera, vt læſi offenſiq; dignitas conſeruetur. Aequum eſt enim vt quum quiſpiam aliqua contumelia innocenter afficitur, pœnas reus perſoluat, quò innocentis & immeriti honos intactus relinquatur. Tertia latius propagatur, videlicet vt reliqui admoneantur, boniq; fiant dum aliorum exemplo uitia puniri animaduertunt. Quocirca ſi ſingula diligenter inſpexerimus, liquido apparebit, Aemilium ob hæc tria iure à vobis puniẽdum. Primo enim ſi à vobis veſtroq; congreſſu, ac ſocietate ſeiungatur, fiet, vt hac ignominia & labe aſperſus, totusq; verecundia & rubore ſuffuſus, reſipiſcat, & ad meliorem frugem reuertatur. Et quemadmodum olim Themiſtocles poſt maculam paternam, perpunctus ſtimulis pudoris, in ſtrenuiſſimum peritiſſimumq; Ducem euaſit, ita etiam ipſe hac infamia ſtimulatus, forſan præſtantiſſimus fiet. Deinde virtutis dignitate (cuius maxima ſemper habenda eſt ratio) decet vt puniatur. Nam

ſi

si secus ageretur, quilibet existimaret, cum illa tantopere offensa sit, non solum ab eo, sed etiam a vobis, eam paruifieri & contemni. Postremo vt clarum et perspicuum exẽplum in omnes omnium, nedum vestrarum legum contemptores, edatur & confirmetur. Nam eo punito, nemo erit, qui non huiusmodi exemplo in posterum terreatur. Omnes pro virili studebunt leges vestras tueri, nemo eas violare audebit, & alterius pœna quisque fieri melior curabit. Quid itaque amplius percunctamini? Ecce vobis iudices, manifestum reum, crimen apertum, leges violatas, virtutẽ neglectam, periculum grauioris damni, spes bonorum omnium de vobis, & bona innumera quæ vos ex huius correctione sequentur. Hunc vobis ante oculos ponite, ac vestris animis omnino persuasum infigite, tantam fore illius iactationem & insolentiam, si è vestris manibus elabatur, vt omnia diuina & humana iura sit euersurus. Ne patiamini eius audaciam latius extendi. Nunc facite vt luat pœnas, ne altius radices agat & figat. Expergiscimini, expergiscimini. Nec enim minor est gloria sustinere imperium declinans, ruereq; incipiens, quàm illius denuo iacere fundamenta. Extendite hoc tam egregio facto virtutem uestram, ac re ipsa ostendite, quanti eam faciatis. Hoc autem nulla re melius cognoscetur, quàm si virtutem colatis, adiuuetis, erigatis, vestræq; iustitiæ specimen præ-

beatis

beatis, in huius tam iniqui punitione, si quoque hunc tanquam noxium membrum à vestro corpore penitus excludatis. Hinc enim virtus, omni vitio, non secus quam aurum igne purgata, pulcherrima & splendidissima emicabit, vosq; omnes diuino ac cœlesti spiritu imbuti, perq; illius vestigia incedentes, colemini ab omnibus, ac vestrum nomen perpetuæ immortalitatis gloriæ consecrabitis.

Aemili



AEMILII DEFENSIO.



FORTASSE *Nonnulli ex his qui modo hic adsunt, mirabuntur, Aemilium paulò ante coram vobis (Iudices) tam acerbe accusatum, non ipsummet suam causam nunc defendendam suscipere, & in tanto suæ dignitatis fortunarumq; discrimine, in alijs potius quàm in seipso confidere. Eo magis autem admirabuntur, si eius qui hoc onus in se receperit, conditionem inspexerint, Cum enim ipse nec ætate, nec ingenio, nec dicendi facultate, nec rerum usu ac peritia sim ullo modo cum eo comparandus, destituor equidem illis præsidijs artis ac industriæ, quibus ipse optime munitus, causam suam æquiorem & magis plausibilem reddere potuisset. At scio vos (iudices) non miraturos, cum sciatis non argumenti diffidentia, nec iustæ cau*

sa

ſæ deſtitutione, hoc ab eo factum eſſe, at in primis
vt veterē huius Reipublicæ morem ſequeretur, quò
accuſati magis aliorum, quàm propria eloquen-
tia defendantur, iudicantes forſitan hoc modo duos
affectus animorum tolli, quibus Iudicū animi aliò
flecti ſolent, videlicet odium & commiſerationem.
Deinde hoc fecit multò magis quadam ſua ſolita et
innata modeſtia, quæ licet maxime honeſta ſit &
laudabilis, tamen interdum vereor, ne ſibi, nimia
quorundam audacia & impudentia, plus damni
ac dedecoris, quàm vtilitatis & gloriæ ſit allatura.
Ipſe itaque hac ſua ſingulari modeſtia, qua ſemper
à ſuæ vitæ primordio vſus eſt, permotus, tacendum
ſibi duxit, meq́; vt hanc prouinciam pro ipſo ſuſci-
perem, rogauit, exiſtimans hoc iudicium haud in-
tegre abſolui poſſe citra multam ſuorum meritorū
commemorationem, citraq́; ſui aduerſarij maleuo-
lentiæ ac iniquitatis oſtenſionem. Vtrumq́; autem
uitare ſtudet, ne de ſe locutus, ſe ipſum oſtentare uel-
le videatur, ſuaq́; in Rēpublicam beneficia expro-
brare, vel ſi de aduerſario ſermonem habeat, iu-
ſto dolore impulſus, multa in eius infamiam, etiam
inuitus, dicere cogatur. Ego uero & multo libe-
rius præclaras illius virtutes recenſere potero, & de
accuſatore tantummodo dicam, quæ iudicium &
præſens cauſa expoſtulant, nec ſanè longius progre
diar. Cur dicam longius? Aemilius ita fidit ſuæ in-
tegritati, puritati ac innocentiæ, cum certus ſit de
ueſtra

uestra (iudices) prudentia, iustitia, religione, ut apud se statuerit, nihil omnino respondere calumnijs, falsisq́ delationibus aduersarij, sibi persuasus, nullo se patrocinio apud vos indigere, nec sibi opus fore artificiosa aliqua oratione phaleratis'ue uerbis. Norat insuper uos peroptime intellecturos, quàm stulta & inermis hæc fuerit accusatio, plena uento, referta inanitate, tumida insolenti quadam ambitione, vacua ratione, priuata æquitate, exuta firmis & ualidis argumentis. Cæterum, ut non solum uestri animi, sed etiam eorum qui adsunt in hoc ordine, totius negotij controuersiam plenè intelligant, non ab re uisum est, ut falsæ huius accusationis radices, quasi per membra incisæ, tandem funditus euellantur. Nam uobis (iudices) facile foret huius accusationes religione uestræ sententiæ confutare, totamq́ causam dirimere, sed tamen haud ita facile ex quorundam mentibus in quibus diuersa persuasio inhæsit, omnem dubitationem eximere, adeo ut nullam fidem secus dicẽtibus adhiberent. Quocirca ut perplexi animi confirmentur, labantes erigantur, obscuris lux addatur, debilesq́ ac infirmi subleuentur, eius innocentiam & apertam sui aduersarij calumniam (quoad potero) uobis quàm breuissime demonstrabo.

Equidem (iudices) facile crediderim, uel ex sola memoria et recordatione illius vitæ quam Aemilius ab ineunte ætate, ad hoc vsque tempus egit, qualis

lis etiam nunc sit, nulli obscurum esse. Quum enim subit in mentem, quanta beneuolentia & amore hunc cœtum semper hactenus laudarit, coluerit, obseruarit, quî fieri vnquam poterit, vt quis credat, hunc postea sic ab eo neglectum, contemptum, ac vt iniquè illi obijcitur uituperatum? Cum etiam sæpe complures audiuerint illum publice dicentem, nihil sibi antiquius nihilq; optatius ac iucundius euenire, quàm vt hanc studiosorum societatem, perpetuò florere conspiceret, nihilq; magis habere in uotis, quàm vt illius congressibus, colloquijs, & dulcissima consuetudine frueretur; qui unquam credibile sit, vt modo immutata uoluntate atque animo, se illa indignum exhibuerit? Præterea si in turbulenta illa seditione, quæ proximis diebus quorundam improbitate excitata, nec precibus, nec pretio, nec minis, nec vllo verborum lenocinio abduci potuit ab ea qua vos prosequitur beneuolentia & fide semel præstita, quin potius accerrimum se vestri defensorem præbuerit, & viperinas vestrorum aduersariorum linguas validissimis armis prostrauerit, idemq; subinde pro virili strenuè faciat; quis modo credat, eum quicquam quod in eius damnum ac ignominiam redundaret, uel animo concepisse, nedum fecisse? Profectò haud potest cadere in sanam mentem hæc cogitatio, ipsum vno eodemq; tempore se modo acerrimum illius propugnatorem, & modo euersorem, nunc hostem, nunc amicum,

nunc

nunc eius laudum præconem, nunc vero fieri contemptorem. Videtur itaque hac in re Platonis celeberrimi diuinissimiq; Philosophi exemplum laudabile sanè ac dignissimum, ab omnibus etiam hominibus studiosè imitandum, mirifice conuenire. Huic enim cum à quodam referretur, Xenocratem suum familiarem, multa mala de se sparsisse in uulgus, illico respondit, se non posse adduci vt crederet, Xenocratem ea dixisse, nisi prius optime cognouisset, illa omnia in Platonis decus & beneficium cedere. Sic nimirum sapientissimus Philosophus illius Sicophantæ nequitiam detexit, atque cohibuit, nec sibi ullo modo persuadere uoluit, eum, de cuius fide ac integritate multa & clarissima testimonia iam habuerat, quicquam potuisse facere alienum à sincero animo, & mutui amoris effectu. Nec etiam (vos iudices) tam maturo iudicio tanq; singulari prudentia præditos, unquam credituros arbitror, Aemilium aliquid hactenus egisse, uel acturum in posterum, quod huius nobilissimi consessus amplitudinem, ac dignitatem, uel minima ex parte imminuere, aut labefactare possit. Quin etiam longè credibilius est, quicquid agat, dicat, cogitet, id totum ab eo fieri ad ampliorem eius gloriam & incrementum. Et si paratus est (vt uidetis) uel sanguinem & uitam profundere, quò aduersus uim & iniurias eorum, qui uobis male uolunt, uos protegat, semperq; studuit efficere, vt
rara

rara vestræ virtutis exempla, cum maxima vestri nominis laude, perpetuo fulgerent; cur illi nunc diffidatis? Quod'nam clarius indicium, quod specimen, quod testimonium dari maius potest, quàm illius probitas & fides? Equidem subit animo interdum (ut ingenue fatear) ac in suspicionem venio (nec citra causam) hunc delatorem à vestris illis seditiosis aduersarijs corruptum. Cum enim videant, illum nunquam in eorum sententiam pertrahi potuisse, nunc astu, & fictis calumnijs, vestros animos alienare conantur, modisq; omnibus procurant, ut sibi aqua & igne à vobis interdicatur. Qua quidem re nihil omnino iniustius & imprudentius, nihil denique huic Reipublicæ perniciosius fieret. At is tamen (inquit aduersarius) vestra decreta promulgauit, vestras leges violauit, vestriq; Imperij maiestatem imminuit. Hæc sanè accusatio (iudices) apparatu atque amplitudine verborum, multum habet virium & supercilij, sed re ipsa exuitur omni robore ac præsidio.
Dic mihi primum Sycophanta, si prorsus negauerim eorum quæ abs te obijciuntur, nihil uerum esse, qua ratione abs te probabitur? Per testimonia examinata & lecta? Vellem sanè adolescens, ut quam primam pro gloria tibi acquirenda excogitasti criminationem, fuisset abs te prudentius inchoata, & maturiori consilio perfecta, utq; prius diligenter considerasses, illum, qui se alterius uitæ

accuſatorem conſtituit, euidentiſſimis rationibus armatum eſſe oportere, quæ ſic luceant vt ſol in meridie, & præſertim ſi de illo agatur controuerſia, et accuſatio, quem palam ſit in toto uitæ ſuæ curriculo probum, integrum, omniſq; uirtutis amantiſſimum antea extitiſſe. Non inconſiderate, non temere, non imprudenter, nulla denique praua animi affectione moueri, ac impelli debet ad aliquem accuſandum, cum in iudicijs agatur de meritis & culpis, de honore ac infamia, de uita bene uel mala tranſacta, cum accuſantis, tum etiam accuſati. Videamus itaque (iudices) cuiuſmodi ſint teſtimonia & chirographum ab iſto accuſatore coram uobis prolatum. Ecce primus teſtis ait. Aemilium iactaſſe, uelle ſe diuulgare arcana myſteria uirtutis, eiuſq; ſacras aretalogias pluribus patefacere. O miſeram & infelicem hominum conditionem. O uitam infinitis periculis maliſq; obnoxiam. En modo Aemilius uocatur in iudicium, non quoniam aliquid egerit contra legem, ſed quia ſe uelle dixerit. Lex non vetat loqui de illis euulgandis, at ne id fiat, prohibet. Illud enim virtutis maieſtati nihil obeſt, hoc forſitan obeſſet. Hic autem nunc arroganti quadam inſcitia uult etiam capite plectendum, quicunque de his uel hiſcere audeat, cum tamen lex non quid homines loquantur, ſed quid agant, conſideret. Non punit hominum cogitata, ſed effectus. At forſan erraui in forma legis

legis. Agedum inspiciatur melius. Recita ipse verba legis, ut hoc liquidius pateat. Lex, &c. Bene se res habet, non erraui. Lex non punit nisi eos qui uirtutis mysteria cæteris euulgant, non autem eos qui se id cupere iactitant. Cæterum si hic accusator in legis interpretatione errauerit, excusandus est, utpote in sui ipsius imagine deceptus. Ut enim coram uobis protulit accusationem plenã inanitate uerborum omniq; re vacuam, sic etiam putabat, legem non rerum euentus, at nuda uerba respicere. Age uero, si non modò perperam ab eo factum esse, uerum etiam probauero illum ob id laudandum remq; salutarem huic ordini, & omnino præclarissimam egisse, quid tandem respondebit? Cum enim perplures uideret miro desiderio teneri primos ingeniorum partus cognoscendi, ut scirent, an forent laudabiles necne, ipse omnium animos implere uoluit quadam firma persuasione, ut crederent se illos editurum in lucem. Hinc protinus honorifica quædam in multorum animis opinio excitata est de illorum pulchritudine ac præstãtia, cum sibi certo persuaderent, eos nunquam edendos, nisi forent summo præconio & laude dignissimi. En itaque (iudices) ut ob res fideliter ac præclare gestas tanquam offensor & uiolator uestrarũ legum, citatur in iudicium, & unde sibi præmium & honos erat expectandus, inde nunc dedecus & pœnam timere cogitur. Video nunc & apertissi-

me intelligo, ut istum accusatorem iam quasi pudeat primi testimonij adducti, cognita eius infirmitate, utq; iam totum animum adijciat ad duo sequentia, quibus innititur, & insolescit, quia expressè dixerunt, illum uestra mysteria edidisse. Non possum equidem (iudices) interdum à risu me continere, quum huius accusatoris inscitiã & imprudentiã diligentius mecum intueor. Profectò res digna risu est, cum ea tam fatua sit, ut nec proborum hominum innocentiæ, nec virtutis puritati ac splendori ulla ex parte officiat. Et quis unquam uidit ea testimonia obesse, quæ quidem nec facti, nec temporis, nec modi qualitatem affirment? Vt reus uincatur, & causa cadat, non satis est ut lex generatim & confusè loquatur, sed opus est ut ad particularia & determinata reducatur, & speciatim de aliquo enunciet. Quomodo igitur hæc testimonia illi oberunt, ex quibus nihil aliud infertur, quàm secreta virtutis ab eo diuulgata, nec tamen dicitur quæ nam opera, nec vbi, nec quibus, nec etiam quomodo id egerit. Quæ sanè si distinctè proposita fuissent, veritas magis elucesceret, omnibusq; constaret, an eorum testimonia uera sint necne, probantia, uel inania. Sed cum ita mixtim loquantur, omnis hæc controuersia remanet perplexa & confusa, instarq; orationis densissima nube obuolutæ, nihil secum splendoris affert, nihilq; firmi & solidi argumenti. Nam detur, ipsum

aliqua scripta quæ vestra ex Academia prodierint, euulgasse, non'ne fieri potest, vt ex eorum numero sint quæ primis virtutum incrementis erant olim ab aliquo excogitata. Quisque uestrum scit quàm multa egregia hominum cogitata mandata litteris, quàm multa cum ad historias tum ad poesim pertinentia, fuere hactenus vel à præstantissimis ingenijs oblata, exoptata, requisita, efflagitata. Ad has veteres editiones lex noua non extenditur, cum eius natura (vt singuli vestrum probe norunt) nunquam præterita, sed semper futura respiciat. Lex nunquam commissis erratis formam præscribit, sed his tantummodo quæ olim admitti possunt. Hæc enim semper studet, homines in posterum vel præmio, vel pœna, probos efficere; commissis sceleribus nequit prospicere, cum etiam hac facultate priuetur Deus, facta infecta, & genita ingenita reddere. Esto igitur aliquas uestras editiones ab eo reliquis communicatas, cum tamen secus probari nequeat, uerisimile est, illarum duntaxat notionem præbuisse, quæ uestris legibus minime repugnaret, ac etiam eo tempore quo lex id fieri non vetabat, non quod ipse uestra statuta uiolaret, iusiurandum contempserit, uestriq; Imperij maiestate corruperit. In dubijs casibus & confusis haudquaquam decet sumi interpretationem legum violatricem, & præcipue ad innocentum hominum infamiam, detrimentum & pœnam, ac

multo magis eorum, qui vt hanc nobilissimam societatem augerent atque ornarent, modis omnibus allaborarunt. Quocirca multo credibilius est, nonnulla ex illis uetustioribus, ab eo suis familiaribus ostensa, ad quorum quidem silentium neutiquam tenebatur, & præsertim cum illorum maior pars iam ab alijs ad plurimorum manus deuenisset. Nec mihi sanè compertum est, quomodo his testibus plena fides adhibenda sit, cum sint obscuri nominis, fortasse nulli cogniti, non coram iudicibus examinati, citra legitimas interrogationes alterius partis, nec à vobis animaduersum, quo uultu, constantia, colore, quo denique corporis motu, aduersarij causam apud vos egerint. Hæc enim omnia in tam graui controuersia, vbi de honore, ac statu alterius agitur, erant summopere necessaria. Nam forsitan (iudices) inuenissetis eos vel non loqui de rebus à lege prohibitis, vel si de illis loquantur, impulsos atque corruptos fuisse ab aduersarijs, quorum quidem animus, atque studium, in hoc solum est, vt vos priuent homine tam fideli, candido, erudito, tamq; in singulis generibus disciplinarum diligenter exercitato. At vos, quorum integritas, & prudentia semper maxima fuit, nullo modo (vt spero) patiemini, plus apud vos valere aliorum calumniam, & maleuolentiam, quàm uestram pietatem atque iustitiam; vtq; satis hucusq; compertum habetis, illius fidem & probita-

tem

tem, non inquinatam nec sordidam horum testimo niorum asseueratione, ita nec etiam chirographum sibi obfuturum vobis cogitandum est. Nam & quî scimus (hoc in primis libenter cognoscerm) an illud sit Aemilij, uel alterius? Num aliquis hoc ab eo scriptum affirmare audeat? Est ne hoc exemplar cum cæteris (vt mos est) collatum? An forsitan à se scriptum ore suo asseruit? Mihi certè admodum inhumanum uidetur, vt proborum hominum existimatio, & fortuna, tam dubia & incerta probatione, in tam apertum discrimen adducenda sit. Esto autem (vt uultis) hoc chirographum a se conscriptum, quid tandem ait? Quid probat? Eum aliquid egisse contra leges? Recita iterum, vt melius intelligatur. Chirographum. Vereor equidem (Iudices) ne quis vestrum credat, hunc accusatorem & me unà consentire, ac eum rogatu meo imbecille hoc argumentum ideo suscepisse, vt mea in eius responsione, huiusq; causæ infirmitatis confutatione defensio tãto firmius eluceret. Alioqui verisimile non videtur, vt ipse tam leuibus rationibus tamq; infirmis ac debilibus argumentis, accusationem ita grauem tantiq; momenti (vt hæc est) ad exitum se vnquam perducturum speret. Non'ne itaque audistis (iudices) istud chirographum non dicit, eum scripta se cæteris dedisse legenda, sed tantummodo se curaturum vt illa rescribantur, deinde se daturum esse? Semper

ad eosdem anfractus reuertimur, semper eosdem Labyrinthos ingredimur. Sed tamen ipse (ut filo Dedalus) uos inde facilè extricabo. Non sunt promissa quæ faciant contra legem, sed eorum adimpletio. Nulla vis legibus infertur quum aliorũ scripta cuipiam pollicemur, at quum ea exhibemus: & ex hoc aperte cognoscitur, verba rebus non fuisse conformia. Nam si postea exhibuisset, ut dedit chirographum, haud dubiè multo libentius, quò reus conuinceretur, ea scripta dedisset, uel saltem aliquod testimonium, quo illa se habuisse probaret, idq; suæ causæ maximum adiumentum attulisset. Sed mihi tanquam per ueras coniecturas uidere uideor huiusce rei successum, ac certe crediderim, Valerium ob sibi datum chirographum spe optima repletum, ac ea deinde frustratum, quoniã ea scripta quæ cupiebat, consequi non potuerit, acri odio in eum indignatum, id chirographum protulisse, ac eius accusatori dedisse, ratus hoc pacto iniuriam qua se affectum putat, ulcisci. Nam si secus esset, quis unquam crederet, eum uoti compotem effectum, illius à quo beneficium accepisset, infamiam & perniciem tam raro & manifesto exemplo ingrati animi procurasse? Etsi uero mihi necesse non est pro eius defensione ab aduersario, causam iustam ostendere, cur ipse id chirographi conscripserit, nihilominus tamen existimo, illum, ut in cæteris rebus, ita etiam in hac peramanter

(ut

(ut solet) & summa quadam dexteritate, ac prudentia, se gessisse. Cum enim uideret quanta importunitate Valerius illa ab eo postularet, eius animum hac spe nutrire, & tanquam fræno cohibere uoluit. Hinc fiebat ut aliquandiu moderatior fuerit, nec ut aliunde illa obtineret, fraude, banditijs, aut largitionibus tentaret, licet in hoc tam nobili cœtu nullum aditum (ut mihi quidem persuadeo) contra leges unquam inuenisset. At ipse tandem omni spe destitutus, totum animum conuertit in iram, nec iã amplius ea scripta exoptat, sed chirographo diuulgato, quibus potest modis conatur, in suscepto negotio pergere. Videtis ergo nec primum testem, nec secundum, nec tertium, nec etiam chirographum, quicquam omnino inferre quod aduersarij causæ patrocinetur, illiq; clamores, illi ardores, illi denique terrores uobis ante oculos positi, quam sese omnes exerant debiles, frigidi, languidi, & inanes. Detur tamen ita esse, ut vultis, sint veri testes citati, & cõcludant quod maxime cupiunt, relinquatur hæc pars in istius iuuenis accusantis præsidio, ne desperet in posterum, videns primam suam accusationem omni ex parte fuisse mancam, imbecillem, ac imprudentem. quid tum postea? Dico intrepidus libereq; affirmo, Aemilium in hoc minime uiolasse leges vestras, nec vestri amplitudinem imperij minuisse, ac proinde nullis pœnis afficiendum, quin potius vestra statuta semper ab eo quàm-

quàm diligentiſſime obſeruata, imperij maieſtatem adauctam, obq́ ſua egregia & eximia benefacta, & laudem & præmium eſſe promeritum. Scitis (iudices) in hoc ſtudioſorum ordine duo eſſe myſteriorum genera, quorum ſanè alterum haud licet vnquam vlli patefacere, alterum interdum conceditur. Principia, fundamenta, ordines, relationes, inſignia, cæremoniæ, ſecretæ leges, nomina abſcondita, numeri ſacri, nec poſſunt, nec debent vllo tempore, nec vlla occaſione cuiquam patefieri, cum in eis vniuerſa baſis virtutis conſiſtat, & innitatur, deq́ his veſtra lex diligentiſſime curauit, & ſanxit, vt hæc omnia ſummo & perpetuo ſilentio tegerentur. Secunda myſteria quæ ſunt poſita in conſcribendis epiſtolis, orationibus, hiſtorijs, epigrammatibus, odis, elegijs, alijsq́ generibus poeſeos, haud interdum edi prohibetur, interdum etiam permittitur. Quinetiam claris ac expreſſis uerbis indicitur, vt in lucem edantur, omnibusq́ innoteſcant. Si enim huiuſmodi ſcripta non ſint prius reuiſa, repurgata, & approbata, neque omnino eſt utile nec etiam vt edantur, ullo pacto conceditur. Ex hoc enim ueſtra reſpublica plus dedecoris & infamiæ ſibi metueret, quàm laudis & gloriæ ſperaret. At ſi ea huiuſmodi ſint, vt ueſtra cenſura & iudicium approbarit, non modo edi poſſunt, ſed etiam debent, cum eorum pulchritudine, eruditione ac præſtantia, ſingulis ex hoc

ordine, immortalis nominis gloria & fama proueniat. Oportebat itaque, vt hic iuuenis accusator, sciuisset rite distinguere, legisq; mentem & rationem probe intelligere. Nam ratio, qua lex mouetur, est ipsamet legis anima, eaq; unde uita, spiritus & motus legi affertur. quocirca si hæc prima sacratissima & secretissima mysteria diuulgasset, profectò ipsemet in eum essem asperior, quàm uel accusator, uel quiuis alius, magisq; in eius odium accenderer. Sed postquam à nobis agitur de secundis mysterijs, hoc argumentũ est per se multo lenius, cum isthæc sint minoris momenti, quàm prima; redditurq; per se mite & clementissimum, ex quo is tantummodo reus efficitur, quoniam non nulla scripta Q. Scipionis uiri doctissimi ac ornatissimi edenda curarit, quæ quidem non modo egregia sunt, plenaq; singularis cuiusdam doctrinæ, ac eloquentiæ, sed etiam uestro omnium indicio summopere commendata. Nunquid forsitan obliti estis, quanta cum voluptate, plausu, & animorum consensu, eum sua scripta legentem audiueritis? quàm omnes mirabamini? quàm interdum exclamabatis? quàm sæpe illius ornatu, lepore, artificio, stupidi hærebatis; nec solum approbastis, at etiam id quasi lege confirmastis? Quam ob rem si ea non reclusa & abdita, sed nota esse voluit, ea tantum modo selegit, quæ pulchra, elegantia ingeniosa, & quæ etiam uestra censura & iudicio approbata esse

esse cognouerat. Hinc enim putabat (ut reuera est) magnum decus & gloriam huic Reipublicæ accessuram. Nec sanè mirum. In his enim quæ ipse suo marte meditatur & scribit, tam nobile ac excellens ingenium relucet, tam singularis doctrina undecunque emicat, tam exactum & perfectum iudicium perspicitur, tantus denique lepos & suauitas inest, ut etiam nulla correctione adhibita, semper inter maxime polita & limata, omnibusq; numeris absoluta, iure annumeranda existimem. Præterea nobilissimo eius animo, semper optima quædam & sanctissima uoluntas adiungitur aliquid excogitandi, unde uirtus quæ tandiu iam nostro sæculo exulauit, & in hoc tandem nunc feliciter ad nos redire incipit, splendidior multo quàm quæuis Dea, terris eluceat. Cæterum etsi testes huiusmodi essent, ut maxime facerent pro accusatore, quæq; ab eo edita sunt, edi minime debuissent: ad uestram tamen prudentiam (Iudices) omnino pertineret, ut in hac re de qua nunc agitur, summa quadam animi moderatione uteremini. Nam si sedulo res inspiciatur, apparebit, legem, nullam pœnam peculiarem in hoc statuere, sed eam solum uestro prudenti arbitrio, ac æquitati relictam uoluisse. Recita finem legis. At minime necesse est, cum illa mihi satis in mentem ueniat. Et si forte lex (inquit) is qui uobis à secretis est, arcana uirtutis mysteria diuulgarit, pœna

esto

esto iuxta iudicum arbitrium, &c. Manifestum est igitur haudquaquam hoc supplicij genus præscribi, vt ex hoc cætu excludatur, sicuti vehementer ac constanter contendit accusator. Nec sanè quicquam à vobis fieret imprudentius ac periculosius nestræ Academiæ. In primis enim hoc si agatur, omnis eius dignitas concidet, eaq; optima existimatio, quam omnes boni de illa concepere, maxima ex parte minuetur. Si enim viderent initio suæ instaurationis, & ornamenti, eam esse deprauatam, perturbatã, omnesq; inter se certare dissidijs, quid postea de fine, ac medio sperandum foret, si eius initium in tanta confusione, totq; erroribus implicitum, ac refertum inueniretur? O quanta fieret diminutio splendoris & gloriæ, quum homines audirent vestros ordines corruptos, leges violatas, concordiam disiunctam. Prudentis est ad paruum aliquod delictum in his primis incrementis, conniuere, nulloq; modo illud palam facere. Sed opera honorifica, præclaras actiones, & facta egregia omni laudum genere in cœlum vsque perpetuo efferri debent. Cæterum qualia crederentur esse reliqua, si quem omnibus virtutibus decebat esse ornatum, pro infami notaretur? Si, qui præcipuè leges obseruare, statuta colere, & hanc Rempublicam tueri, maximisq; honoribus amplificare tenebatur, quiq; propter suum munus perpetuum plus emolumenti ac fructus percipit, is postea tam nobilis Imperij

perij deprauator & uiolator esse inueniretur? Quid'nam de cæteris iudicabitur, qui minus tenentur, minusq; vtilitatis inde assequuntur? Profectò, nemo erit qui non pro certo existimet, istam Academiam breui omnino interituram. Mihi sanè non ab re (vt opinor) subit in mentem, dictum Antipatris. Hic enim cum Parmenionem iussu Alexandri audiret interfectum esse, inquit: Si Parmenio fuit infidelis Alexandro, cui vnquam amplius credendum? At si fidelis fuit, quid nobis agendum? Equidem noui, & (quum id memoria recolo, non possum non maximopere indolere) vestris aduersarijs nihil omnino gratius, nihilq; optabilius posse contingere, quàm vestræ Academiæ dissidia, eiusq; ex illis interitum. At videte obsecro (iudices) in quantam vos imprudentiam hic accusator inducere conatus est. Nouit enim aperteq; intelligit illam protinus collapsuram, si hoc obtinuerit, vt Aemilius hac sede & domicilio expellatur. Quid? Non'ne ipse in manibus habet secreta legum, cæremoniarum, numerorum, & reliqua omnia mysteria? Non'ne scit plenissime omnes vestras actiones, opera, consilia, studia, cogitationes? Nunquam sanè adducar vt credam, illum (tanta est eius probitas, & in vos, vestrumq; istum sacrum ordinem beneuolentia) ita fore diuersum à se ipso, vt à fide deficeret, quin potius indubitanter crediderim, illum hoc nobile virtutis Templũ,

ſemper maiori obſeruantia & diligentia custoditurum, proq; illo inuigilaturum, quàm olim faciebant ſacri illi Leones, qui à veteribus Theologis (nec citra ſummum myſterium) ante portas Templorum; tanquam cuſtodes, ac excubias agentes ponebantur. At ſi vos (iudices) paucorum maleuolentia & odio adducti, hunc ex hac ſocietate expellendum iudicetis, proculdubio fiet vt maxima incommoda & damna quisq; noſtrum patiatur. Fieret enim vt cum modo non patiamini eum detegere vel minimam partem earum rerum, quæ hunc locum potius illuſtrant, quàm obſcurant, extimulatus, quaſi quodammodo cogeretur, quæcunque ſibi cognita forent, cæteris communicare, ac ea præcipue in quibus conſiſtit vis, vita, anima, & fundamentum virtutis, quibus occultatis, hoc Imperium augetur, & detectis, imminuitur.
O impudens audacia. O dementia nunquam hactenus audita. Et vos (iudices) adhuc veremini, ne hic Sycophanta ab his qui vobis veſtroq; ordini aduerſantur, incitatus atque impulſus, ſub prætextu probitatis, ſub velata facie iuſtitiæ, ſub inani vmbra obſeruantiæ in veſtras leges, non ſit moturus omnem lapidem, vt hæc Reſp. tota (quoad per ipſum fieri poterit) diſſipetur, euertatur, intereat? Certe dubium non eſt quin veſtri aduerſarij, poſtquam vobis, nec iure, nec vi, obeſſe potuerunt, nunc inſtar vulpium, fraude ac dolis id facere moliantur.

moliantur. Cauete igitur ne fucata huius verba, vos à recta ratione abducant. Hæc enim sub falso bonitatis velamine secum afferunt manifestum ac lethale venenum. Animaduertite diligenter vtriusq; partis rationes & argumenta. Iam videtis ea nihil concludere contra huius innocentiam, vtq; ab eo nihil errati commissum est, ita etiam probari nequit eum re ipsa errasse. Et si etiam quod volunt, inferrent, hoc tamen citra vllam vestrarum legum iniuriam fecisset. Proponite vobis ante oculos quot molestias & labores pro vobis iamdudũ sustinuerit, quotq; etiam quotidie sustineat. Hi profectò nunquam tam infelicem & calamitosum exitum merebantur, nec minus causa esse debebant, vt ipse nunc tot suæ dignitatis & fortutunæ periculis foret obnoxius. Quid plura, vt expelleretur ex hac præclara & nobili studiosorum societate, qua sibi ex omnibus rebus humanis nihil est carius, iucundius, amabilius, & qua sine, nunquam posset hic diutius viuere. Non opes, non amici, non vita, non spiritus, nulla denique res alia in terris est sibi cara, sine vobis, vestroq; dulcissimo congressu. O miseri & infelices mortalium labores. Hic est ergo fructus, quem vos post tot ærumnas miseris hominibus tandem affertis? O vanum inanemq; amorem, quo virtutem amplectimur. Hæc ne sunt præmia in eos, qui illam sequuntur & colunt? O fallaces hominum spes, parumq; fortuna-

tæ;

tæ, siccine, vnde à vobis honos & læta omnia sperabantur, inde summum dedecus ac perpetuum exilium affertur? Quò se igitur iam conferet, vestro sodalitio eiectus, cum extra illud semper sibi vitam longè acerbissimam putarit? Ibit'ne tanquam perfuga, in castra vestrorum hostium? At in his ne horulam quidem posset immorari, cum eos plusquam vatiniano semper odio sit insectatus. Præterea nunquam id faceret, partim ne tantam ansam lætitiæ aduersarijs præberet, partim etiam ne tanta iniuria vos afficeret. Confugiet'ne ad eos qui virtute relicta, voluptatibus ac vitijs deduntur? At qui unquam fieret, vt qui semper ab ipsis incunabulis virtutem coluit, semperq́; proborum hominum consuetudini adhæsit, nunc tandem improborum & vitiosorum societatem expeteret, vitamq́; degeret ingloriam & infamem? Et quomodo vos vnquam pateremini, salua dignitate vestra, vt qui olim vobiscum tam honeste, tam honorifice, tamq́; domestice ac familiariter vixerit, modo inter improbos & flagitiosos versaretur, iisdem quibus illi, vitiorum sordibus, inquinatus? Redibit in patriam? Sed qui vnquam suos ciues, affines, amicos, dulcesq́; penates reuiset, oculisq́; intuebitur, expulsus à vobis pro infami, eiectus pro corruptore vestrarum legum & tanquam perfidus, in exilium relegatus? Totus vndiq́; rubore suffusus, potius mori statuet, quam se suis ciuibus talem

 ostendere.

ostendere. Petet'ne syluas & nemora, ibiq; vagus oberret, quò arbores, frutices, lapides, aues & animalia rationis expertia sint sui dedecoris & calamitatis vel perpetui testes? Quid igitur faciet? A vobis vestroq; contubernio explosus, ad vos continuo redibit, circaq; vos, uestrosq; gressus perpetuò uolutabitur, atque in uos, quos unice colit & obseruat, suos oculos intentos, fixosq; habebit: & nisi dabitur, unà uobiscum esse, ibit oberrans per uicina loca, vt vel hoc pacto suam vobis innocentiam exhibeat, suiq; amoris & fidei admoneat, & qua denique mente atque animo sit erga uos, omni significatione aperiat. At uos, vt spero, iudices neutiquam patiemini, vt tam claro & conspicuo exemplo, liuoris ac maleuolentiæ laceretur, & opprimatur, quin potius uestri animi celsitudine, maturoq; consilio & prudenti iudicio, Aemilio solitum honoris gradum, ipsumq; Aemilium uirtuti, vtriq; & dignitatem & uitam saluam atque incolumem conseruabitis.


VLIELMO Metlan Domino Lidinctoni, à ſecretis & conſilijs Sereniſsimæ Scotiæ Reginæ, viro ſumma virtute ac ſapientia præſtanti, Petrus Bizzarus hanc pro Virginio de defenſionem, ut poſteris aliquod ſui erga eum officij teſtimonium extaret, dicauit.

Ad eundem.

MAGNVS Agamẽnon decẽ ſibi Neſtores olim
Optarat, per quos Græcia recta foret.
Scotia dum tu à ſecretis, ſibi cernit adeſſe
Tot numero. ſic ſtant ordine cuncta ſuo.
Ergo vt conſilio ſapientem Neſtora uincis,
Sic annis multis Neſtora uince precor.



ORATIO PRO L. VIRGINIO, CONTRA AP. CLAVDIVM.



APIENTISSIMI *humanarum legum Conditores Lycurgus apud Lacedæmonios, & Solon apud Athenienses, suis legibus in primis cautum esse uoluerunt, (iudices integerrimi) ne quis morti unquam addiceretur, nisi prius utriusque partis rationibus auditis & clarissime intellectis. Hoc tam laudabile institutum semper in hac celeberrima urbe à nostris maioribus quàm diligentissime obseruatum fuisse percepimus. Id uero quàm non modo utile, sed etiam necessarium sit, quotidiana experientia perfacile uideri potest. Itaque spero (iudices) uos idem in præsenti causa facturos, & pro uestra innata æquitate atque prudentia, diligenter omnia & singula inspecturos, priusquam aliquid in* VIRGINIVM, *de quo nunc omnis futura est controuersia, statuatis. Uterer autem longiori exordio, uosq; pluribus uerbis hortarer, ut æquas & faciles aures mihi præberetis, nisi satis uestra sponte ad audiendum promptos atque animatos uiderem. Quocirca his omissis modo quæ à plurimis disertissimis uiris initio sermonis plerunque fieri consueuerunt, ad ea potissimum orationis meæ cursum dirigam, quæ præsens argumentum expostulat.*

Legimus

Legimus in Romanorum Historijs P. Horatiũ, sororem eo quòd in publica lætitia spõsum mortuum deflebat, in vniuersi populi conspectu gladio transfixam interfecisse. Item, Iunium Brutum, filios et nepotes: propterea quòd Reges Tarquinios in Regnum restituere conabantur, securi percuti iussisse. Manlium etiam Torquatum, suum filium, quia iniussus cum hoste pugnasset, vt statim necaretur, præcepisse. Hos autem & nonnullos alios his similes non solum omni supplicio liberatos, at etiam summis laudum præconijs celebratos fuisse Historici prodiderunt. Nec sanè immeritò. Nunquam enim credibile est illos, vt hoc facerent, vlla innata sæuitia & immanitate impulsos, at sola legum reuerentia permotos. Etenim cum uiderent maximam suis legibus iniuriam, per suos liberos factam esse, iudicabant nulla alia ratione illis posse satisfieri, quàm eorum interitu. Etsi ergo maximo & incredibili dolore intus afficiebantur, & pœna qua filios plecti mandabant, maximam omnino in seipsis partem sentiebant, vt tamen cæteris exemplo forent, legumq; maiestas illæsa & inuiolabilis permaneret, maluerunt ijs, quibus nihil in terris carius habebant, priuari, quàm vt legibus ac disciplinæ vel minima contumelia inferretur. Accedit præterea honoris amplitudo ac existimatio, pro qua millies (si millies hic mori daretur) potius mortem oppetijssent, quàm vt vel mi-

nima cum labe ac ignominia viuerent. Quare si Virginij causam, qua impulsus, in vnicam filiam optimam furere ac insanire visus est, perceperitis (prudentissimi iudices) haud equidem vereor, ne hunc absoluendum, eiusq; animum generosissimum fuisse; contra uero, Appium Claudium totius mali auctorem, vestris omnium sententijs condemnandum iudicaturi sitis. Nam Virginius proprijs oculis & vita sibi cariorem filiam, semper vnice dilexit, ideoq; non sine lacrymis latè profusis, impius contra illam esse potuit, sed dignitatis gloriæq; domesticæ ratio ac suprema quædam & plusquam Dodonæa necessitas, eum ad hoc facinus impulit.

Audite nunc obsecro (humanissimi iudices) quænam causa, vel potius quę nam animi generosi vis, & potentia, miserrimum Virginium ad suam ipsius calamitatem adegerit.

Appius Claudius vir præpotens, & maximæ auctoritatis, Virginij filiam iam adultam, & forma excellentem, perdiuissime adamabat. Cum uero illã ad se pellicere, nec precio nec spe posset, omniaq; pudore septa animaduerteret, Marco Claudio Clienti negotium dedit, vt virginem in seruitutem assereret. Is omnia ex præscripto facit. Cæterum quo minus Appius ea sit potitus, paucis declarabitur. L. Virginius filiam desponderat Icilio Tribunicio, viro acri & expertæ virtutis. Pater autem puellæ, Reipublicæ causa tunc aberat. Spar

so itaque rumore huius tam atrocis contumeliæ, propinqui adsunt, & in primis Icilius. Rei nouitatem ualde admirantur, hocq́; manifestum esse mendacium, sibiq́;, parentibus, ac uniuersæ domui maximam iniuriam fieri exclamant. Quoniam uero pater (ut dictum est) aberat, impetratum est, ut quàm primum accerseretur, omnisq́; controuersia in eius aduentum differretur. obtentum est, moxq́; uocatur. Vt autem uenit, Appio & hanc suam esse filiam, ex legitimo coniugio, & Icilio desponsam, intrepide affirmat. Appius (tanta uis amentiæ potius quàm amoris eius mentem turbauerat) in tribunal ascendit, & contra omnem æquitatem, uindicias secundum seruitutem decreuit. Virginius, intentans in Appium manus, Icilio inquit, Appi, non tibi filiam despondi, & ad nuptias, non ad stuprum educaui, multaq́; huiusmodi. at ille animo iam à libidine ad furorem uerso, Virginium eiusq́; socios, homines inquietos esse, nulliq́; alij rei quàm ciuilibus dissidijs intentos, ore impudentissimo coràm omnibus, stansq́; pro Tribunali, dicere non veretur. Tum Virginius, vbi nihil usquam auxilij vidit, data venia, seducit filiam ac nutricem, atque ab Lanio cultro arrepto, hoc te vno quo possum, ait, modo filia in libertatem uindico, pectus deinde puellæ transfigit, spectansq́; ad Tribunal, te (inquit) tuumq́; caput sanguine hoc consecro. Virginius itaque hoc facto, statim ad por

tas vrbis perrexit, indeq; ad castra peruenit, quæ in Algido erant, vbi tunc temporis honestum ordinem ducebat. Huc cum uenisset, quærentibus quid rei esset, flens, diu vocem non emisit, tandem, vt iam ex trepidatione concurrentium turba constitit, ac silentium fuit, ordine cuncta vt gesta erant, exposuit, supinas deinde tollens manus, commilitones appellans, orabat ne quod scelus Appij Claudij esset, sibi attribuerent, neu se vt paricidam liberorum auersarentur, sibi vitam filiæ, sua cariorem fuisse, si liberè ac pudicè uiuere licitum fuisset: cum autem eam uelut seruam ad stuprum rapi uideret, morte amitti melius ratum, quam affectos cõtumelia liberos videre, misericordia se in speciem crudelitatis lapsum, nec se superstitem filiæ futurum fuisse, nisi spem ulciscendæ mortis eius in auxilio commilitonum habuisset. Filiam itaque quia non vltra uictura pudica fuerat, miseram, sed honestam mortem occubuisse. Eodem se animo suum corpus uindicaturum quo uindicauerit filiæ, nisi de Appio debitum supplicium sumatur. Res ita se habet (iudices optimi) non odio uel furore incitatus, at honestissima ratione impulsus in filiam sæuire coactus est, ideoq; ante uestrum conspectum venire, & iure quodam à se inuito factum homicidium defendere audet, & mortuam potius filiam, quam ab Appio violatam velle, attestatur.

Quapropter cum animum Virginij maxime ge

nerosum

nerosum & magnanimum ipse mecum considera-
uerim, cum causam iustissimam, qua motus filiam
necauerit, mente atque animo meo uolutarim, cum
dedecus fugiendi & domesticum nomen conseruan
di studio, ea omnia euenisse mecum cogitarim, non
possum non Virginium ipsum summis laudibus ex-
tollere, ac eius fortudinem non maximopere admi-
rari. Appium vero tanti mali auctorem, quis non
accuset, non execrabili odio prosequatur? non quo-
uis supplicio et cruciatu longe dignissimum censeat?
Quocirca vos etiam atque etiam rogatos uelim
(nobilissimi iudices) vt si euidentissimis causis, &
rationibus Virginium non modo impune dimitten
dum, sed etiam summopere laudandum; contra ue
ro Appium & accusandum esse, & omni pœna di-
gnum ostendero, æquis animis nobis adesse non gra
uemini. Si laudandi sunt qui honestatis causa diui
tias, opes, magistratus, dignitates, principatus,
Regna atq; Imperia contempserunt, si commen-
dandi, qui corporis dolores, animi cruciatus, ca-
pitis pericula, vitam denique ac mortem negle-
xerunt; si celebrandi qui semper animo excelso, &
inuicto in rebus publicis, priuatis, forensibus, & mi
litaribus extiterunt, si denique laudibus efferendi,
qui locorum, temporum, personarum ratione habi
ta, in omnibus ac singulis rebus decorum seruarint,
certe horum in numero principatum tenere Virgi-
nium, & omni laudis genere dignissimum fuisse asse
rimus

rimus & contendimus. Hic enim uir uere fortis, atque magnanimus, quiduis potius ferre ac pati, quam fœdari, ullaq; labe pollui, multo prius in animum induxerat. Proinde maxime in eum quadrat Vergilianum illud,

Est hic, est animus lucis contemptor, & istum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.

O maximum generosi animi cãdorem. O custodem vniuersarum virtutum pudorem egregium. O præclarum viri magnanimi decus. Quis eum non adamet? Quis non suspiciat & miretur? Quis non cœlesti sede hunc dignissimum iudicet? Hic non pecuniæ atque opum, non dignitatis vel principatus alicuius, aut Regni & Imperij, sed solius honoris seruandi gratia omnes corporis dolores, omnia tormentorum genera, omne capitis periculum, ipsam denique vitam, & obitum filiæ contempsit. Proinde mihi persuadeo vos (æquissimi iudices) hunc fortissimũ uirum non solum uestris omnium sententijs omni periculo absoluturos, uerum etiam omni laudationis cumulo celebraturos.

Cæterum quod aduersarij dicunt, Appium Claudium eo animo & consilio extitisse, ut Virginij filiã uellet in vxorem ducere, non autem fœdo stupro uiolare, id omnino falsum est, & ab omni veritate alienissimum. Vxorem enim habebat Appius, legitimis nuptijs sibi coniunctam, vti vniuersæ ciuitati notissimum est. Duas autem simul habere non licet.

Sunt igitur somnia et nugamenta, quæ aduersarij cõtra Virginium excogitarunt, quibus probent Appium legitimo cõnubio Virginia potiri uoluisse. Nã esto legum permissione, duas vxores Claudio habere licuisse, minime tamen credendum est, illum eo animo fuisse, vt Virginij filiam in legitimam vxorem sibi cuperet. Sed omnibus perspicuum est, quali mente in eam extiterit, videlicet impudica & dedecore plena. Hæ sunt nuptiæ quæ ab Appio expetebantur. Hic finis coniugij. Hæc est causa, qua (vt sentiunt aduersarij) lætitia efferri, et manus præ nimio gaudio ad cœlum tollere Virginius debebat. Quæ gratiarum actio diuinæ bonitati habenda nõ foret, si illum Appius in suum socerũ accipere non dedignaretur? O supremã animorum cœcitatem. Quis vnquam sanè mentis hoc sibi persuadeat? Pares cum paribus coniugali vinculo associantur. Potentes cum potentibus, nobiles cum nobilibus, diuites cum diuitibus, pauperes cum pauperibus, coniungi legitimis nuptijs solent. Quod sanè in hominum vita vsu euenire, quotidie res ipsa docet ac ostendit. Virginius ergo uir maxime sagax & prudens, Appij calliditatem statim sensit. Illum legitimo coniugio cum sua filia copulari posse nullo modo iudicauit, & propterea non mirum est, si gloriæ laudisq; auitæ obseruantissimus, filiam ferro necauerit. Quod sanè facinus minime animi humilis et abiecti, sed vere præstantis ac heroici

extitisse,

extitiſſe, nemo inficiabitur. Nam ſi hoſtem ferire, & illatam iniuriam vlciſci, maxime præclarum eſt, quanto præclarius erit ſeipſum vincere, & a ſe vim propellere? Si laudandi ſunt qui hoſtes domant, alienas vrbes ſubigunt, uictoriam & exuuias referunt, quanto magis commendandi, qui vt labem & ignominiam deuitarent, vitam nihili extimauerunt, quiq; nullo corporis cruciatu, & pœnæ metu deterriti, ne latum quidem vnguẽ (vt dicitur) ab honeſtate ac virtute receſſerunt? Nec enim aliunde ſummis, diuiniſq; laudibus in cœlum extolluntur uiri clariſſimi, Romulus Imperij Romani conditor, Horatius Cocles, Marcus Marcellus, Titus Manilius, Marcus Attilius, Caius Sempronius, Fabius Maximus, Scipiones fortiſſimi, Catones prudentiſſimi, & diui Cæſares totius orbis domitores, qui omnes nullum unquam uirtutis opus prætermiſerunt, nullumq; periculum honeſtatis cauſa adire ac ſubire exhorruerunt, quin potius ut patrium & domeſticum ſplendorem ſeruarent, magiſq; in dies ampliarent, opes, theſauros, & uitam denique contempſerunt. Quid in præſentia de Zenone Eleate hic referam? Is enim cum a Nearcho Tyranno crudeli atque immani, grauiſſime torqueretur, vt coniuratos uoce detegeret, nullo ſupplicij genere cogi potuit, vt qui nam eſſent, fateretur. Sed cum proximos quoſq; ac fideliſſimos tyranno, ſua conſtanti oratio

ne

ne, suspectos reddidisset, ciuium ignauiam ac metum increpitans, effecit, ut subito mentis impulsu concitati, Nearchum lapidibus prosternerent. Quid etiam de Anaxarcho dicam? Hic enim (ut historiæ referunt) cum a tyranno Cypri Nicocreonte, acerbissimis tormentis cruciaretur, nulla ui inhiberi potuit, quin tyrannum grauissimis uerborum procellis percuteret, ac illius animum diuerse iactaret. Cum autem eius linguam se amputaturũ minaretur, effeminate adolescens (inquit) non erit hæc quoque pars corporis mei tuæ ditionis, protinusq́; dentibus abscissam linguam in os eius, ira patulum, expuit. Quid memorem Cyreneum Theodorum, Philosophum non ignobilem, cui cum Lysimachus crucem minaretur, istis quæso inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis. Theod. quidem corpus nihil refert, humi, an sublime putrescat. O admirabilem fortitudinem. O animum uere generosum. Hi sunt uiri eximij ac præstantes. Hi & belli & pacis tempore laudatissimi extiterunt. Horum uirtus est omnibus sæculis ac ætatibus permansura. Nec enim ullum æuum de diuinissimis illorum laudibus conticescet. In horum itaque numero Virginius iure optimo est habendus. Nec enim animi celsitudine ac robore ulli ueterum aut eorum qui postea, uirtute ac fortitudine inclaruerunt, inferior censendus est, quin potius superior aut saltem par iudicandus. Cum itaque

que (optimi ac præstantissimi iudices) Virginium non sceleratum, non infandum, non impium, & crudelem (ut maleuoli commententur & asserue-runt) sed insignem, egregium, ac optimi nominis & famæ studiosissimum fuisse perspexeritis, non est cur eum neci destinandum censeatis. Quin imò eius fortitudinem, & animi excelsi præstantiam admirati, omni honore ac laude dignissimum arbitremini; Appium uero totius mali fontem atque originem, condemnandum, uestra sententia statuatis. Non enim pater Virginius filiam, sed illam Appius interemit. Qui enim causam damni dedit, damnum etiam uidetur dedisse. Non Virginius facinorosus homicida, sed honoris custos integerrimus fuit. Omnis culpa in Appium transferenda est. coegit ipse infelicissimum patrem in miserrimam filiam sæuire. Ut itaque miseratione dignus est Virginius, ita etiam quauis pœna & supplicio dignissimus Appius, pollutor nempe Virginum, subuersor alieni coniugij, scelerum omnium machinator, flagitiorum mirus inuentor. Nam quot Virgines constuprauit? Quot matresfamilias uio-lauit? Quot cædes nefandas patrauit? Quot furta? quot adulteria? quot homicidia? quot sacrilegia cõmisit? Quæ domus, quæ templa, per hos annos ab eius nequitijs tuta remãsere? Quas ille urbes & pronincias non expilauit? Expergiscimini (iudices optimi) expergiscimini, vos etiam reliqui

ciues

ciues tātam ignominiam ne impune patiamini, ad tantas iniurias nullo modo à vobis conniuēdum est. Contra Claudium arma sumite. Imitemini hac in re Athenienses, viros sapientissimos, qui Duce Thrasybulo, tyrannos triginta expulerunt, vrbemq; omni seruitio liberarunt. Imitemini Syracusanos ciues, qui vno eodemq; consensu Dionysiū tyrannum Regno expulerunt. Proponite uobis ante oculos, uiros Agrigentinos, qui Phalaridem crudelissimum tyrannum, eadem qua ipse cæteros pœna & supplicio affecerunt. Imitemini demum maiores nostros uiros fortissimos, qui Tarquinos Reges superbia, libidine, audacia & omni vitiorum genere laborantes, pati non potuerunt, sed potius ex urbe ac Regno eiectos, perpetuo exilio relegarunt, indeq; insignem laudis gloriam reportantes, libertatem ciuium conseruarunt, et suum nomen hoc tam præclaro facinore immortalitati consecrarunt. Id autem uos absque dubio consequemini, si bonorum ciuium salutem & quietem conseruabitis, si bonos ciues incolumes uolueritis, malos autem & sceleratos, audaces atque nefarios, procul à vobis, vel exilio uel morte expuleritis. Retinete per Deos immortales, & conseruate Virginium, uirum optimum, uirum clarissimum, & vere magnanimum: casum & calamitatem tanti viri, uestris animis deflete, ac domus eius labantis misereminі, (iudices clementissimi.) contra uero, Appium

pium ſceleſtiſſimum hominem, nefarium, adulterum, crudeliſſimum, homicidam, impium, ſacrilegum, diuini cultus contemptorem, humanæ ſocietatis peruerſorem, ſcelerum omnium auctorem audaciſſimum, ueſtris omnium ſententijs perſequimini, veſtro omnium conſenſu procul expellite, meritis deniq; ſupplicijs in eum animaduertite. Sic enim agentes, et patriæ, & Virginio, & ciuium ſaluti, ac bonorum omnium tranquillitati, quam optime ac prudentiſsime à vobis proſpicietur.

Dixi.


Errata ſic corrigito.

Folio. 16. a. linea. 4. conomen, cognomen. 32. a. 23. Et, En. 39. a. 24. gratiam, gratia. 40. a. 27. delinquure, delinquere. 47. a. 16. Hac, Hæc. 48. b. 13. in ſpiritu, & ſpi. 49. a. 3. perferendum, præferendum. 53. b. 9. conſpiciuntur, conſpiciantur. 60. b. 12. primus, primusque. 61. b. 11. Sereniſſimæ, Sanctiſſimæ. 62. a. 4. demum, damnum. 64. a. 28. cum certus ſit, tam certus eſt. 67. a. 26. citatur, citetur. 70. a. 6. banditijs, blanditijs.

PETRI BIZZARI

POEMATVM

LIBRI II.



VENETIIS, M. D. LXV.

PETRI BIZZARI POEMATVM LIBER I.

AD MAXIMILIANVM II. IMPERATOREM.

MAXIMVS es titulis, uirtute es maximus, ac spe
Maximus ingenti, maxima ut ipse geras.
Hæc si præstiteris, quamuis amplissima (credas)
Plurima adhuc restant perficienda tibi.
Sed quia fortunæ auxilio, quæ amplissima, fiunt,
Hæc precor ut tibi sit fausta & ubique comes.
Sic tua fortunæ uirtus innixa potenti
Spes tandem uincet, famaq; maior erit.

Ad Carolum Nonum Galliarum Regem.

LILIA quæ quondam cælo demisit ab alto
Iuppiter, ætherea peruegetantur ope.
Non ualet hæc Auster, Mauors, non Syrius æstus
Lædere, non Iuno, non glacialis hyems.
At semper Zephyris placidis Euroq; fouentur
Propitio, ac semper sunt uiridante coma.
Vtq; uirens laurus nequit ullo fulminis ictu

Offendi, dextra tectus Apollinea;
Sic Ioue custode haud flos hic uiolabilis ulla
Vi astrorum, aut hominum, sauiat usque uelit.
Quid non sperandum sub tanti numinis umbra?
Quid non uincetur auxiliante Ioue?
Ergo tot Heroum soboles clarissima, spesq́;
Galliæ, & Henrici gloria summa Patris;
Perge huius ductu titulos æquare parentum,
Vincereq́; auspicijs fortia gesta tuis.
Sic Bellona tibi faueat, sic Iuppiter adsit
Prosper, & e cælo lilia missa tegat.
Irriget hæc Flora, hæc recreet felicibus auris
Eolus, ac tenui Cynthia rore madens.
Ipse etiam æterno cælum qui lumine lustrat,
Florida conseruet, atque in odore suo.

Ad Elisabetham Angliæ Reginam Vidamus de Chartres, Gallus, in festo Diui Georgij.

QVIS *non Regali titulo dignetur, Equestri*
Quos uidi insignes ordine, honore pares?
Incessu, splendore, habitu meritisq́; decorus
Quilibet in vultu suspiciendus erat.
Sed tamen vt Phœbus clara inter sydera fulgens
Emicat, & uincit cuncta nitore suo;

Sic

Sic omnes illos DVDLAEVS corpore pulchro,
Et raris superat dotibus ingenij,
Forma illi augusto quæ sit dignissima quouis
Imperio, virtus Principe digna viro.
Ex illis iste est cui nil Natura negarit
Regia si demas sceptra decusq́ue tuum.
Excellis forma, sceptris, animoq́ue refulges.
Ter felix, coniux si tibi fidus erit.
Te Natura gemit vacuo sic viuere lecto:
Quod deest, quodq́ue tibi est, accipe, daq́ue Viro.

Ad eandem Petrus Bizzarus.

ANGLIA iandudum varijs agitata procellis
Fermè erat vt medio quassa carina mari.
Te exoriente illi, tempestas destitit omnis,
Quæque obscura dies, facta serena sibi est.
Hinc merito superum regem noctesq́ue diesq́ue
Orat, vt incolumem te superesse velit.
Hinc etiam talique viro regiq́ue precatur
Associet, qui sit sensu animoq́ue pari.
Scilicet vt vestro auspicio sua gloria crescat,
Et dicat; Sunt hæc aurea sæcla mihi.

Ad Hieronymum Priolum Ducem Venetiarum.

CVM latè circumspiceret Neptunus in omnes

Oceani partes, & loca pulchra magis;
Nulla est urbs (ait) ex cunctis quas alluit æquor,
Adriacæ similis, nec fuit ulla prius.
Hæc stabili, ac firmo imperio sua iura tenebit,
Virgoq; dicetur dum fluet unda maris.
Mœnia sunt ciues, lex propugnacula, & Arces
Mutua pax, turres cura superna Iouis.
Ne vero interea rectore, ac principe tanta
Vrbs careat, PRIOLVS dux erit, atque caput.
Vtq; illa est prima, & reliquas supereminet omnes,
Sic erit hic primus nomine, req; potens.

Ad Melchiorem Michaelem Prefectum Venetæ Claßis.

LITTORE Bizanti cum classem solueret hostis
Turcicus, obstupuit Doris, aitq; viro. (tur
Quid sibi tantum agmẽ coniux? nũ nostra petun-
Regna? heũ quàm timeo ne in mala nostra ruat.
Nereus haud metuas (inquit) non ista parantur
In nos: & si etiam, nil tamen inde mali.
En tuus hic frater Michael fortissimus heros,
Quem norunt venti, quẽ mare, quemq; polus.
Huic ego iura dabo Pelagi liberrima, eritq;
Oceani dominus, quà patet usque sinus.
His dictis, pacati animi, Nymphæq; repletæ
Lætitia, & plausum pontus ubique dedit.

Dialo-

DIALOGVS.

TIBERIS ADRIA.

TIB. *Nulla olim Regio fuit*
Quæ non colla meo subdiderit iugo
Dum sors prospera, dum mihi
Fauit Iuppiter, & numina cælitum.
ADR. *His certe ducibus, tuo*
Subdisti Imperio maxima flumina
Terrarum, atque Britannicum
Æquor, quaq; patet oceani sinus.
TIB. *Ast (heu) quid mihi profuit*
Orbis perdomitus? quid superum fauor?
Si quod longa dies dedit,
Vna hora abripuit, nec lachrymæ iuuant?
ADR. *Has dimitte, nihil queunt*
Prodesse hæc Iouis est, atque Deûm omnium
Lex firma & stabilis, cadat
Vt quicquid genitum est, cunctaq; desinant.
TIB. *Heu heu, quò Capitolium?*
Quò regum exuuiæ? quò ampla potentia?
Quò vrbis gloria nunc meæ?
Quò fortuna potens? Occidit. occidit.
ADR. *Hæc frustra reuocas modo*
In mentem. Ista igitur mitte, potissima
Et quæ causa tui mali
Mecum edissere, prout est tua opinio.

TIB. *Hanc noui satis, hanc satis*
Edoctus propria sum experientia,
Nec celabo, videlicet
Praeceps ambitio, & odia mutua.

ADR. *Haec verissima sunt, tibi*
Nam haec sola interitus causa, nec id modo
Te, at Graecos etiam, & Syros,
Persasq; indomitos antea, perdidit.

TIB. *Haec exempla meos nihil*
Mouerunt, ne animum seditionibus
Ciues miscuerint, sua
Sic dextra pereunt, sic miseri ruunt.

ADR. *Haec exempla mouent meos*
Terrentq; Adriacos, propterea vigent
Tot iam saecula nobili
Fama, & diuitijs, nec uariant statum.

TIB. *Neptunum precor hunc tibi*
Seruet perpetuo, quandoquidem nihil
Est toti Ausoniae amplius,
Nilq; orbi reliquum. Sed quid ego interim?

ADR. *Aequa mente feras vicem*
Aduersam, & quoniam flectere non potes
Diuum fata, remedium
Est obliuio sola, aut patientia.

Ad

Ad Iacobum Stuardum Scotum.

PERSEVS ingentem meruit virtutis honorem,
Dum cæti Andromedem ex faucibus eripuit;
Dumq; armis tectus vulcani, & Palladis ense,
Gorgona deuicit uipereasq; comas.
Sic tua perpetua celebratur gloria laude
Monstris perdomitis Centimanoq; Gyge.
Hæc Iouis armatus cælesti numine, pectus
Atque sacra indutus Ægide sternis humi.
Scilicet VNTLAEO capto, natisq; peremptis,
Et fuso audaci milite marte tuo.
Ille quidem fuerat tibi Germanæq; minatus
Exitium, & maiori agmine fultus erat.
Congressus tecũ fit mox captiuus, equoq; ad
Regia perductus tecta, repente cadit.
Atque statim expirans animã cũ sanguine mixtã
Occubuit, pœnas promeritasq; luit.
Hic ergo exitus VNTLAEI quo haud ditior isthic
Nec genere antiquo clarior ullus erat.
Quid referam reliquos, quos tu sapientia & arte
Vicisti egregia, dum fera bella cient?
Macte igitur virtute animoq; vt Perseus alter
Perge tibi æternum laude parare decus.
Sic bellona tibi faueat, sic Iuppiter olim
Det pede felici uincere', vt ante facis.

Reginæq;

Reginaeq; tuae regnum seruare sorori
Incolume, ac florens nomine req; simul.

Ad Gulielmum Par Marchionem Northamptonum.

PAR, *cui nobilitas par cum uirtute in utraque*
Fortuna uisa est conditione pari.
Quis non eximiis te laudibus euehat usque
In caelum? quis te non amet atque colat?
Moribus es placidis, natura pergenerosa,
Iudicio praestans consilioq; grauis.
Splendidus, illustris, doctus fautorq; bonorum,
Inuicto ac forti pectore conspicuus.
Quid plura? Herois est par tua maxima virtus,
Cum quibus aequa tibi gloria, laude pari.

Ad Franciscum Rosellum Anglum.

GLORIA *sponte sua, fugientem quaerit, & illum*
Consequitur, quamuis iret ad Antipodes.
Hanc licet ipse fugis, tua per vestigia oberrat,
Et quocunque abeas, haec comitatur iter.
Hãc fugis, haec sequitur, fugias licet vsque, sequetur,
Nec te vnquam Terra deseret, atque Mari.
Hanc decoras, te illa. hanc quoniam tu semper a-
Haec te perpetuo, perpetuoq; colet. (masti,

Felices

Felices Animæ quas virtus tollit ad astra,
Et quarum æterno nomine fama viget.

Ad Robertum Dudlæum, Anglum.

INNVMERI *regnant, quos hic seruire deceret,*
Permultis desunt Regna regenda viris.
Tu regere, imperio dignus, vel maxima Regna,
Et quamuis desint, mens tua digna viget.
Hæc laus est potior, quàm si vel mille darentur
Regna tibi, si non dignus honore fores.
At cum sis dignus quàm qui dignissimus omni
Imperio, superos dent tibi regna precor.

Ad Nicolaum Baco Angliæ Cancellarium.

SI *mea lingua foret qualis Demosthenis olim,*
Hortensi, Antoni, vel Ciceronis erat;
Non tamen assequerer, minimaq; ex parte referrē
Pro meritis laudes, o Nicolae tuas.
Ergo illas tacito veneratus pectore, semper
Suspiciam, tanquam munera rara Deûm.
Cœlitus hæc illi emittunt, mortalia quando
Respiciunt animis, luminibusq; pijs.
Scilicet vt Patriæ prosint ratione, grauiq;
Consilio, & monstrent quid fieri expediat.

Quæ lex Naturæ conformior, unde paretur
Imperium, & partum qua retinetur ope.
Hæc ipse egregie præstas, Regnumq; Britannum
Doctrina exornas, integritate, fide.
Ergo tibi merito defertur cura, locusq;
Præcipuus, merito gloria prima datur.

Ad Vidamum de Chartres, Gallum.

Is, *quo Romuleum genus*
Tam clarum auspicijs duxit originem,
Indiuulsum habuit mari
Et terra comitem, qui sibi in omnibus
Rebus fidus erat: nitens
Tali est nomine, quem ex vrbe Colonia
Londinum dederas lapis.
Ut vero digitis commodius meis
Gestaretur, in anulo
Non tam auro rutilo, quàm artificis manu
Qui gratus merito queat
Cunctis esse, mihi rara benignitas
Transmisit tua, candidi
Tanquam μνήμοσυνον *pectoris, & bonæ*
Mentis. quæ abs te igitur data.
Dono gemma fuit, missaq; tam procul
Est vitæ mihi nunc comes,
Absentisq; tui semper imaginem

Prædulcem ante oculos refert,
Ut Pyrrho lapis hic Aonides nouem
Et Phœbi effigiem sacri
Ad viuum retulit. nunc sapientia
Quanta es, quàm ingenium tibi
Præstans, quàmq; grauis, candidus & pius.
Quàm sis progenitus domo
Illustri, monet. Hæc omnia munere
Huius consequor anuli.
Addit præterea quantus amor tuus
In me, quid quoque debeam
Erga te facere, fungar vt optima
Et grati, & memoris uiri
Parte. Ergo decet hunc perpetuo colam
Et multis habeam mihi
Carum nominibus, quo videar tuæ
Gratus munificentiæ,
Dignusq; vt redames qui te amat & colit.

Ad Arnoldum Fererium, Gallum.

PRESTANS ingenium, consilium graue,
Ac prudens animus, raraq; in omnibus
Rebus cognitio, tum probitas, fides,
Et uitæ integritas, te merito euehunt
Per clara ora virum, cordaq; plurimis
Inflammant, vt ament, & cupiant nouis

Te auctum perpetuo cernere honoribus.
Hæ dotes quibus es præditus, haud latent
Reges innumeros, præcipue tuum,
Cui tam carus es, ut summa negotia
Regni sæpe tuæ candidæ & optimæ
Committat fidei. Scilicet arduis
In rebus facile est noscere quid queant
Omnes. iudicio qui viget integro.
Hæ sanè faciunt, ut magis emicet
Virtus luce sua, splendidiorq́ sit
Quàm Sol, sydera, quàm quicquid ab India
Fertur siue Adamas, gemma vel altera
Quæ à mortalibus hic debeat expeti.
Ergo uiue diu, quò Patriæ diu
Prosis, perq́ sacræ Palladis aurea
Templa, vnde homini est gressus ad æthera
Pennis aligeris haud metuentibus
Solui vt Icariæ, duc pede prospero
Iam susceptum iter. Hinc corpore libera
Quando mens tua erit, & spatiabitur
Felix vndique per sydereas domos
Cum cætu Angelico, & cum reliquis pijs.
Optatoq́ Dei lumina nutriet
Vultu, posteritas grata, nec immemor
Laudis promeritæ, dicet. Hic extitit
Magnum præsidium & gloria Galliæ.

Annæ Rossellæ.

O, quàm felicem poterit se dicere natum
Qui tibi vir fuerit.
Rara pudicitiæ laus, in te maxima floret,
Virgineumq́; decus.
Forma Helenæ similis, quam semper grata uenustas,
Quam comitatur amor.
Ingenio quamuis excellas, hoc tamen arte
Excolis assidua.
Interdum in linguis discendis, hinc tibi rerum
Plurima notitia;
Interdum digitis pulsando, fallitur hora,
Nunc etiam fidibus.
Nunc tela in tenui, & qualem vix posset Arachnis
Texere docta manus.
Quid memorem ut suauis sermo plenusq́; decore,
Vox quoque melliflua?
Quid risus, motus, incessus? quid'ue choreas
Ducere si lubeat?
Singula quid referam? sunt omnia grata, uenusta
Quæ facis ac loqueris,
Hæc dos ampla quidē, atque omni pretiosior auro,
Omni etiam lapide,
Sit licet ille Adamas, Carbunculus, atque Smaragdus,
Quicquid & Indus habet.
Est tamen interea tibi dos ab utroque parente
Tradita conueniens.

His

His vero, vnde genus ducis, quid terra Britanna
Aspiciet melius?
Quid'ue etiam vidit melius, vel clarius vnquam,
Seu pietate pari?
Ipsa quidem Genitrix tua sicut gemma, nitebat,
Vndique tota micans.
Vndique tota micans cunctis virtutibus, hicq́;
Syderis instar erat.
Crudeles Parcæ, crudelia fata, cur illam
Tam cito, tam subito
E nostris oculis primæuo in flore iuuentæ
Ah, libuit rapere?
Sed credo Superos, terram uidisse coruscam
Luce mage ac nitida
Quàm cælum, atque ideo tãdem uoluisse, vt olympo
Cederet hoc iubare.
Illa ergo in cælis immenso fulget honore,
Vincit & astra poli.
Viuit adhuc genitor quo non præstantior alter,
Vix etiam similis,
Seu bello mauis, seu pacis tempore, siue
Militiæ atque domi.
Hunc seruate (oro) cælestia Numina saluum
Incolumemq́; diu.
Vt vero felix nimium, nimiumq́; beatus,
Cui tua sors dabitur;
Sic precor ANNA *tibi talem contingat habere,*
Qualis & ipsa viges.

Scilicet

Scilicet vt concordi animo uiuatis utrique,
Coniugioq́; pari.
O Hymen hymenæe ueni huc, huc omine dextro,
Huc Cytherea fauens.
O, hymen hymenæe ueni, nec differ amores,
Tuq́; Diana simul.
Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.
Ergo venite precor.
Iungite Virgineos artus, & brachia quauis
Candidiora niue.
Iungite tot dotes animi, tum corporis, & quæ
Sola, virum inueniat
Consortem thalami, vitæq́;, ac prole secunda
Sit (rogo) vterque, parens.

Ad Mariam Ceciliam eiusque sorores, Anglas.

OLIM inculta, rudis, fera,
Immanisq́; fuit dicta Britannia;
Quis nunc dicere eam audeat
Tali nomine? quis non potius vocet
Ciuilem vndique moribus,
Et vita? ingenio quis putet hanc minus
Prastare, ac reliquos magis
Qui excellant? habitu, corpore, bellica
Virtute, atque alijs simul
Laudum insignibus, ecquæ vlla Prouincia

In terris meritò potest
Præferri? & si opibus, magnificentia,
Splendore, atque reconditis
Venis, quæ melior, quæ'ue opulentior?
Hæc sanè Insula maximo
Vt cincta Oceano, sic quoque maximis
Donis cernitur à Deo
Ornata. hic sileo quàm inclyta Regibus
Semper, quàmq; fuit mari
Terraq; hostibus haud exiguus metus.
Quot bella in Regionibus
Externis uario tempore gesserit
Martis omine dextero.
Hæc alij narrent eloquij nitor
Quos ornat. neque mens mihi est,
Quas Regina modo quæ regit Angliam
Tanta cum sapientia,
Doctis versibus hic dicere Regias
Laudes, Mæonio, haud meo
Dignas carmine. Sed nunc aliquid mihi
De te, deq; sororibus
Dicendum statui, (sed breuiter tamen)
Cum sint laude pari. putant
Omnes vos genitas semine Palladis,
Nutritasq; suo sinu,
Ac Phœbum esse patrem, & Pieridum chori
Excep[illegible] gremio sacri.
Has uobis animum uerbaq; singula

Formare,

Formare, ac decus addere
  Sermonis Latij, & suauiloquum melos
In graio eloquio. Quid hic
  De forma egregia, quàm decor inclytus
Oris, nunc loquar? omnibus
  Notum quòd Charites, & Venus hic simul
Decertant utra uincere
  Possit. Quid memorem vt coniugij pudor
In vobis fuit integer
  Omni tempore, & est inuiolabilis?
Sed iam desino grandia
  Conari tenuis viribus, & mei
Culpa deterere ingeni
  Dotes innumeras. Ergo ego desino,
Ne cum dixero plurima,
  Semper plura etiam dicere oporteat.

Ad Henricum Pagetum Anglum.

SVNT qui totum animum applicent parandis,
  Augendisq; opibus per omne tempus,
  Sic vt nil aliud colant, amentque.
Sunt quos ambitio, & cupido laudis
  Humanæ exagitat, rapit, tenetq;
  Totos implicitos, ibiq; summum
  Credunt esse bonum, quiete summa.
Multis præcipue placet voluptas

Coniuncta ocio, & undiq; expetita
Cunctis delitijs, eam putantes
Vitam afferre homini beatiorem.
At qui nunc sophiæ, bonisq; rebus
Et uirtuti animum applicent habendæ,
Paucos inuenias. Hoc unde fiat,
Est scitu facile. arbritrantur illam
Acquiri nimio labore multi:
Sic non ulterius eam sequuntur.
Nonnullis adeò referta mens est
Errore, ac tenebris ita inuoluta
Vt Solis nequeant uidere lumen
Et cognoscere, quàm sit expetendum
Semper, quàm sit amabile, & sine illo
Quàm sint omnia amara, quamue
Nullius pretij. Hæc quidem est secunda
Causa, & maxima, ut illa prima,
Quòd tam pauci homines iter capessant
Virtutis, potiusq; amare quiduis
Optent perpetuo, quàm id, unde famam
Æternam sibi comparare possint.
Ast Henrice tua omnibus tenebris
Est mens explicita, & labore nullo
Terretur. Labor est tibi uoluptas
Ingens. Ocia pestis, & pericla
Tutus callis ad ardua. id esse uerum
Vt re ipsa omnibus hic pateret, ecce
Liquisti patriam, tuosq; amicos,

Et tot commoda, quò videre doctos
Ac mores hominum queas (Vlysses
Vt quondam) uarios locos & urbes
Diuersas, variasq; πολιτείας.
Hoc quid nobilius; quid orbe toto
Est præstantius? Ergo vos superna
Cæli Numina, uos precor fauete
PAGETO, & sua cœpta prosperate.
Ut quando repetet suos penates
Et dulcem patriam, domi secunda
Et fausta inueniat, sibiq; honores
Dentur promeriti, ac eis fruatur
Longo tempore lætus, & perenni
Cum laude, inuidia procul remota.

Pro Hercule Rangono.

SIC ne tuum pateris Rangonum febre iacere
Oppressum & frustra te uocitare sinis?
Quis tibi curæ erit amplius, hunc si spernis Apollo?
Quisue tuum solito numen honore colat?
Vos quoque Pierides cur non Helicone relicto
Peoniam ægroto ferre studetis opem?
Tuq; adeò Gradiue pater quid quæso moraris
Hoc uigili cura protinus efficere?
Cur tantum Heroa qui te & tua castra secutus
Semper militiæ gloria, honosq; fuit;
Cur capite, ac toto uexari corpore suffers?

Hæc hominum meritis præmia forsan erunt?
Nunquam ego vos superi tam ingratos esse putabo,
Nec tam crudeles, tamq́; boni immemores.
Vidi equidem haud raro mortalia uota benigne
Accepta à vobis, spemq́; fuisse bonam.
Ergo idem facite, & præsenti numine adeste
Rangono, ut sit ei, quæ fuit ante, salus.
Sic homines cuncti quà Sol decurrit, honore
Vos grato celebrent, muneribusq́; colant.

Ad Thomam Randolphum, Anglum.

ANGLIA *iure tibi multum, tibi Scotia multum*
Debet. vtrique bonus sedulitate tua es.
Dij faxint posthac debere vt possis utrique
Quò par sit meritum conditione pari.

Ad Odettum Foixium Gallum.

NOSTRO *tempore nobilem videre*
Doctum, est rara auis, Æhiopsq́; vt albo
Vultu. Quòd si etiam sequatur aulam,
Longe rarius est videre talem.
Sed tu nobilis ex Domo vetusta
Heroum, & puer hanc secutus olim,
Quanuis obrutus aulicis, ijsq́;
Summis rebus, es attamen peritus.

Linguarum quibus hic parantur artes
Præclaræ, ingenuæ, esq́; vtroque iure
Versatus solide, simulq́; in omni
Doctrinæ studio. id placere debet
Plusquam si tibi cunctæ opes darentur
Quas quondam Attalus et Midas habebant.
Addo plus etiam quam honos relictus
A maioribus. is profecto clarus
Longis stemmatibus, virisq́; bello
Et pace egregijs. at iste quanuis
Non casu tibi contigisset, ample
Lustrares proprijs bonis tuoq́;
Marte. hinc assequeris legisq́; fructus
Optatos, patriam vt iuuare possis.
Hinc es principibus tuoq́; Regi
Gratus, atque etiam Insulæ Britannæ
Reginis varia legatione
Dum illic fungeris, esq́; vtrique carus,
Ergo (quod superest) decus decori
Addens, perge tuum sacrare nomen
Famæ perpetuæ, inclytæq́; laudi,
Qua donec Liger æquor in propinquum
Intrabit, Rhodamumq́; Arar, perenni
Viuas nomine, nilq́; Parca iuris
In te, nil habeant maligna cæli
Astra, & quæ varie gubernat orbem.

Ad Franciſcum à Turri, Baronem.

QVALIS *turris ahenea*
Fundata in ſolido marmore, mens tua
Talis perpetuo. hanc maris
Fluctus, nec Boreas concutit horrifer;
Sic te nulla mouet fames
Auri, nulla quatit ambitio inſolens,
Liuorue, aut Venus, iraq́ꝫ
Præceps. denique ſors proſpera ſeu mala
Contingat, ſimilem geris
Vultum, nec ratio vincitur impetu
Qui te ſub ſpecie boni
Fallat vel ſuperet. quin ſtabilis manens
Ceu turris valida & bene
Munita vndique, teipſum intrepidum exhibes
Et corde inſuperabili
Ad quæ vult Nemeſis fataq́ꝫ cælitum.
Ergo vt prætersam genus
Et ſtirpem veterem quæ tibi nominis
Huius dat titulos decusq́ꝫ
Illuſtre, a re etiam hoc nominis obtines.

Ad

Ad Nicolaum Frogmortinum Anglum.

ECQVANDO *meritis tuis dabuntur*
Digna? ecquando laboribus peractis
Tanta sedulitate, consequeris
Fructus consimiles? eritne semper
Sors ingrata tibi, nouerca, & atrox?
Hoc si contigerit, putabo prorsus
Hic cæca ratione cuncta volui.
At spero meliora, teque Diuis
Quorum hic arbitrio reguntur æquo
Humana, vnde etiam boni maliq;
Discrimen, fore cordi: & esse, quodque
Sors dudum negat, hos breui daturos.

Ad Michaelem Surianum.

TE *iam sæpe tua patria Nuncium*
Ad reges varijs temporibus procul
Misit, præcipua, & summa negocia
Concredens tibi pluries.
Fernando fueras nuncius antea,
Et postremo etiam quum Imperium sibi
Parebat, nec ei carior extitit
Quisquam nomine publico.
Hoc defuncto, iterum te in patriam refers

Ac-

Accersitus, ibi promptus ad omnia
Quæ mandare velit, nullaq; commodi
Priuati ratio mouet.
Non cœli asperitas, non nimius calor
Solis, non retinent vlla pericula,
Cum noscas etiam dulce mori pro ea, vt
Olim Curtius, & Cocles,
Testesq; innumeri quos vehemens amor
In natale solum traxit ad ardua
Sic vt dura pati delitiæ forent,
Et mors, summa beatitas.
Hæc exempla sequens, omnia patriæ
Postponis, neque deest experientia
Rerum, consilium, non animus, neque
Candor, integritas, fides.
Hæc natura dedit, partim etiam addidit
Ars longusq; labor, tuq; velut pius
In matrem, vtq; decet, perpetuò memor,
Huius in beneficium
Confers quicquid habes cœlitus, aut tui
Virtute ingenij, dijsq; fauentibus,
Partum. hinc surgit honos, gloria, dignitas,
Teq; omnes meritò euehunt.
Hinc sperandum etiam (debita præmia
Si dentur meritis) affore (& auguror)
Tempus, quo Adria te deliget in ducem, ex
Toto concilio Patrum.
Tunc si numinibus me Aonides suis,

Et

Et læto affuerit omine Cynthius,
Laudes ipse tuas carmine concinam
Plectroq; altisono & graui.
Sic vt fama tui nominis euolet
Quà oras hic radijs sol habitabiles
Lustrat. Tunc poterit clarior Adria
Leges Oceano dare.

Ad Andream Georgium Com.

Si tua mens (vt multorum) ambitione fuisset
Inflata, humanæ si tibi laudis amor;
Haud dubiè poteras sperare amplissima quæque
In patria, cum sis dotibus egregijs.
At spernens quos hic multi sectantur honores,
Quasq; superuacuas quærit auarus opes;
Metiri cœlum, ventos cognoscere, quoue
Axe Poli sita sunt sydera, quidue ferant;
Quæ rerum causæ, quot Climata, quid tulit ætas
Antehàc, quid nostra, sors variata vices;
Assiduo studio curas, voluisq; diurna
Nocturnaq; manu quod docuere libri.
Non tamen interea contemnis munus amicis
Præstare officio, sedulitate, fide.
Humanum cunctis te præbes, atque benignum,
Doctus amas doctos, & bonitate bonos.
Ergo tibi viuis, viuis quoque carus amicis,
Quæq; datur paucis, est tibi vera quies.

Ad Bernardum Georgium.

PLVRES *cum veniunt ad ſenium, omnia*
Quæ ſolers homini vel ſtudium & labor,
Vel natura dedit, non ſecus ac ſi aquam
Lætheam biberent, ſtatim
Amittunt, penitusq; immemores, nihil
Norunt amplius, hinc bis pueri ſenes
Fiunt. multi etiam corpus habent malis
Plenum ac immedicabile.
Te vero ſenium haud impedit integra
Ne ſis mente. Tibi hæc uiuida permanet,
Et corpus uiridi robore, quindecim
Quanuis luſtra peregeris.
Quàm rarum omnibus id temporibus fuit,
Quàm rarum his etiam, quilibet aſpicit,
Cum ſæpe in medijs inuida curſibus
Abſcindat Lacheſis colum.
Quàm ſæpe vberibus matris & antequàm
Effari ualeant, pignora ſubripit,
Aufertq; innumeros pube tenerrima
Cum uix induerint genas.
At quanto melior conditio tibi
A Dijs tradita, longum ſenium indicat,
Et uires animi quas ratio regit
Prudenti moderamine.
Hinc eſt vt patriam conſilio iuues
Prudenti atque graui, vt ſcripta uirûm legas
Doctorum

Doctorum, utq́; etiam plurima cum prosa
Tum uersu facias catus.
Ergo his muneribus perfruere, ac tuæ
Quod uitæ superest, transige lætior
Quò uitam recolens præteritam, uides
Cum laude hactenus hanc tibi
Transactam. id facit ut pæniteat nihil
Annorum bene quos uixeris, & dies
Cum suprema aderit, ualde alacer petas
Cæli sydereas domos.

Ad Angelum Sannutum ac eius fratres.

AVRVM per se homini est gratum, & amabile,
At gemma imposita. fit pretiosius,
Quantoq́; hæc melior, & mage nobilis,
Tanto illud magis emicat.
Sic virtus animi est semper amabilis
Per se, digna etiam perpetua, & iugi
Laude. hanc si tamen amplectitur, & fouet
Illustri proauo satus,
Multo pulchrior est, & magis enitet,
Quàm Phœbus radijs in medio die
Splendens, plusquam etiam purpureus color,
Vel qui lucidior lapis.
Ergo quam à teneris vestra Domus colit
Virtus, quam tu etiam haud degener à tuis
Tam

Tam ardenter ſequeris, nullius indiga
Sat ſplendore micat ſuo.
Verum huic nobilitas addita ſanguinis
Plus affert decoris, plus reuerentiæ,
Fulgetq́; vt rutilans gemma, & Apollinis
Lux clara oceano exiens.

Ad Aloiſium Armellinum & coniugem.

L**AETIS** *auſpicijs proſpera Sydera*
Vos iunxere ſimul. tum quoque pronuba
Iuno, tunc & Hymen affuit omine
Dextro, quò penitus diſſociabili
Nodo veſtra fides principio data
Sic connexa foret, vt duo corpora
Mens una incoleret. quid memorem addita
Fructus coniugij, pignora quolibet
Anno, vt prole noua multiplicent Domum.
Inſtar fructiferæ vitis, imaginem
Quæ veſtram referant moribus, oreq́;
Expreſſam? generis quid decus
Antiqui, unde venit? Scilicet inclyta
Bellorum ſtudijs & ſapientiæ
Queis ſemper uiguit, vrbe Peruſij
A RMELLINA *Domus traxit originem.*
Hæc ſanè, (vt reliquæ ex Nobilioribus)
Illo tempore quo barbara, & effera

Vis

Vis regis Totilæ, regis & Attilæ
Romanum imperium inuaserat, omnia
Miscendo uarijs cædibus, Adriæ
Se in portum recipit. Hæc fuit anchora,
Hæc spes tum miseris, atque refugium.
Huc ergo ueniens, ocia reperit
Exoptata sibi, propterea pede
Firmatusq́; animo, sit requies mihi,
Sit firma hic statio, proq́; nepotibus
Hanc sedem statuam. Nulla quietior
In terris erit hac, nullaq́; legibus
Et ritu similis; nulla palatijs
Tam pulchra innumeris, nullaq́; tutior
Hostili rabie, quamq́; magis Dei
Fortunare uelint. Dixerat hæc Domus
Vestræ progenitor motus Apollinis
Ductu uaticino, plurimaq́; addidit.
At sermo meus ad vos redit, hic fides
Quos pura unanimes almaq́; faustitas
Læti connubij copulat integro
Assensu. Eia igitur viuite mutuis
(Vt cœptum est) animis. viuite (vt hactenus)
Expertes nimiæ sollicitudinis
Cuius plena domus, plena cubilia
Multorum, & querulis suspitionibus
Omnino vacui. Sit placidus dies,
Nox tranquilla, Venus semper amabilis.
Decurrant placidis sydera cursibus,

Aspectuque

Aspectuque magis propitio Iouem
Inclinent, moueant, perpetuo nouis
Ut uestra hæc soboles crescat honoribus,
Crescat diuitijs, nomine, gloria.

Ad Hectorem Ausonium.

NVLLVM dabis (credo) Adria tempore
Nostro magis doctum omnigena uirum
Doctrina, & in uita probisq;
Moribus atque animo meliorem.
Linguam disertam huic Mercurius dedit,
Huic Pallas insignem sapientiam,
Huic & medendi Phœbus potentem
Vim, atque modum docuit fugandi
Morbos abægris corporibus. Tibi
Ergo tot ornatum ADRIA dotibus,
Hunc sume honore omni fouendum
Perpetuo, atque cole, ut meretur.

Ad Franciscum Sonicam.

QVAM late Adriacum porrigitur mare,
Tam late Sonicæ vox eloquentiæ
Ac famæ resonat inclyta gloria,
Sermonisq; decus graue.
Arpinum celebrat Roma, Demosthenem
Certat tergeminis tollere honoribus

Gens

Gens Graia. Adriacis non minor est viris
Ardor quo Sonicam euehant.
Magnum sollicitis præsidium est reis,
Solamenq́ bonis atque clientibus
Tutela, & miseris auxilium optimum
Quos sæpe eripit à nece.
Virtus, lingua, fauor præcipuum locum
Inter dant reliquos, nemoq́ dubitat
Quin causa cadat is cui Sonica in foro
Aduersarius est atrox.
Contra, vincere quem amplectitur & fouet,
Tanta est suasio, vis, tantaq́ copia
Dicendi, atque ideo quilibet hoc viro
Fautore, esse putat satis
Ad victoriam. & hoc mentibus insitum est
Cunctorum, esse bona hunc semper, & integra
Mente, ac legitimum ius sequi, & improbas
Causas respuere vt nefas.
Hinc ad se properat nobilis, infimus,
Diues, quemq́ simul pauperies premit,
Nec dona ulla queunt flectere, quo minus
Iusto semper adhæreat.
Iure ergo sonicam uiuere Nestoris
Annos, iure sibi prospera singuli
Optant, quandoquidem est rarus, & vtilis,
Sic, vt vix habeat parem.

Ad Cælium Magnum.

QVID? non te ratio, dies, amici
Solari poterunt? dolore ſemper
Immenſo excruciaberis, nec ullum
Impones lachrymis modum? quid iſtis
Tandem proficies? nihil, uolucrem
At ſolum acceleras tibi ſenectam,
Et per ſe miſeram, omnibusq; plenam
Ærumnis, tibi longe triſtiorem
Hanc uitam efficis. Huc redire nulli
Conceſſum eſt homini, ſemel relicto
Mortali ſpolio. vetant ſorores
Tres, custosq; Canis: per Acherontem
Tranſuectumq; ſemel ſua carina
Durus portitor, haud ſinit priori
Ripæ accedere; Gnoſiaq; ab urna
Eſt immobile quicquid exit, eſtq;
Nullius prece, dotibus, vel auro
Dis placabilis. at quid iſta narro
Vatum ſomnia? uiuit in ſuperna
Nunc frater tuus arce, uiuit omni
Felix parte ſui, neque huc redire
Si poſſet, cuperet, licet daretur
Illi quicquid habent in orbe reges.
   Aſt (inquis) mihi ſolus hic ſuperſtes,
Hic rara indole, moribusq; raris,

Ac summo ingenio, meæq; solus
Vitæ dimidium extitit, proinde
Illum iure fleo; quod sic acerba
Morte, sic iuuenis mihi est ademptus.
At si talis erat, minus dolere
Debes, quin potius magis, magisq;
Lætari, atque Deo referre grates
Qui talem dederit. quid est quod ultra
Quæris? Quòd nimis hinc cito? diurna
Sed forsan nocuisset illi uita,
Quod sepe innumeris uenire in usu
Compertum, vt uarient, vel vt secunda
Fortuna penitus cadant, benigna
Quos ante extulerat. tuis querelis
Ergo pone modum, tuoq; pelle
Mærorem ex animo. id sacræ sorores,
Id Nymphæ Adriacæ rogant, & ipse
Phœbus, queis tuus angor est dolori.

Ad Marium Cardoinum Neapolitanum.

INCLYTA *quid possit præstanti in pectore virtus,*
Quid placidi mores, nobilitasq; viri;
Et si exempla docent quàm plurima, sat tamẽ istud
Est notum exemplo vir generose tuo.
Parthenope clara genuit de stirpe, suisq;

Artibus instruxit quæ Ioue progenita.
Mars etiam edocuit quid belli spectet ad usum,
Qu'ue aliquis redeat uictor ab hoste domum.
Vtq; tua hic virtus magis innotesceret, aulas
Inuisis, Regum tecta superba petens.
Illic gratus ades, mireq; adamaris, & omnes
Te dignum censent quem pia fata uehant.
Inuidit Dea quæ mundum leuitate gubernat
Tam uaria, & meritis præmia digna rapit.
At Venerem Pallas cum Marte orauit, vt esset
Fautrix, quæq; tibi sors negat, ipsa daret.
Tum subito Nimphis quæ opibus formaq; decora
Præstabat, coniux hæc (ait) esto sibi.
Hæc ubi dicta, statim iunxit duo corpora in unũ,
Constantiq; dedit uiuere utrumq; fide.
Hinc tibi diuitiæ ac soboles, hinc maxima uitæ
Huius commoditas, hinc tibi parta quies.

Ad Laurentium Massam.

Non *sic abditus in suis latebris*
Minotaurus erat, tua quàm secreta
Est mens, quamq; fidelis atque custos
Arcani tibi crediti. Leones
Quos tam peruigiles fuisse dicunt
Seruandis domibus sacris Deorum
Vrbis Nyliacæ, tuo fideli
Vincuntur studio. quid ergo mirum

Si

Si fidat venetus tibi ſenatus
Quæ ſint præcipua, ordiniſq; pandat
Auguſti veneranda iura, leges,
Et quæcunq; noua accidunt in orbe
Seu Mauors fremit, aut Minerua oliuæ
Ramis cincta comas ubiq; regnet?
Quid dicam vt facilis grauiſq; iuxta?
Vt ſis candidus atque amans bonorum?
Quàm plenus uaria eruditione;
Quàm ſis gratus Apollini & Camœnis?
Hæc ſunt cognita cuiuis, hæcq; amari
Te cunctis faciunt, tibiq; nomen
Et laudem pariunt, per omne tempus
Qua terris celeber uirûm per ora
Magnorum uolites, nihilq; fatum
Obſit, lanificæ nihil ſorores.
Quocirca tibi gratulor, tuæq;
LAVRENTI Patriæ, precorq; ſemper
Vt uotis habeas deos fauentes.

Ad Guidum Iannettum Fanenſem.

ANTIQVA *tecum quæ mihi plurimis*
Annis ab hinc eſt mutua charitas
Fiduſq; amor ualde probatus
Igne probatur vt eſt bonum aurum.

Ac præter hunc ligamina dulcia
Musarum, & in primis tua cognita
Virtus, mouent me, ut vero amore
Me tibi perpetuo exhibere
Nitar, colamq; te corde adamantino
Firmoq;, sic ut vincula ahenea
Tam puri amoris non senectus
Rumpere, non valeant sorores.

Ad Phœbum pro Ioanne Baptista Giraldo Ferrariensi.

PHOEBE qui cælum radijs & orbem,
Qui mare illustras, nitidumq; reddis
Æthera, & mundi Pater atque Diuûm
Iure vocaris.
Huc salutari medicamen herba
Deferens, ægrum releua iacentem,
Daq; languenti redeant, ut olim, in
Corpore vires.
Hic tuum semper teneris ab annis
Numen, & doctas celebrauit artes
Unde clarescis celeberq; toto
Viuis in orbe.
Ergo qui morbi grauitate fessos
Iamq; parcarum expositos rapinæ,
Eripis letho, auxiliare, sic te

Daphne

Daphne sequatur.

Sic tibi numquam boreas nec auster
Obsit iratus, tumidiq; ponti
Vnda, sic numquam noceant Iunonis
Nubila & imbres.

Ad Io. Baptistam Fontanum.

SICVT desiliens pellucidus caua
Fons rupe ac liquidis perpetuo fluens
Vndis, commoda præter,
Aspectu est peramabilis.
Hunc ornant varijs gramina floribus
Admixta, hunc volucres aera dum suis
Implent cantibus atque
Naiadum sacra numina.
Sic tu colloquio ac moribus es tuis,
Talisq; ore. quid hic quàm vtilis Adriæ
Sis, dicam? omnibus hoc est
Notum, & id magis in dies
Noscetur. nec enim tanta diu potest
Delitescere virtus. micat hæc, magisq;
In te clarior vsque
Fiet, quò mage vixeris.
Ornatur varijs mens tua dotibus
Et sermo fluit, vt Fons niueus vitro
Quouis lucidior, hinc
Cognomen tibi deuenit.

Ad Ioannem Ashleum ac eius coniugem, Anglos.

CVR vos carminibus meis
Inuoluam tacitos? ſic ne mei officij
Obliuiſcar, vt amplius
Nec re vllas meritis reddere gratias,
Nec verbis ſtudeam, has niſi
Poſſim, (vt debeo) perſoluere? non agam
Iſtud. ſed volo maximas
Quas grates potero reddere quandiu
Viuam. ſic ſuperi mihi
Dent olim vt valeam re potius meum
Declarare animum. id lubens
Omnino faciam. vos precor interim
Quod poſſum, accipite in bonam
Partem, & perpetuo me memorem fore
Veſtri nominis, hoc breui
Verſu noſcite. pertenue hoc quidem,
Sed plenum reuerentiæ
Plenumq́; obſequij ac pectoris integri.

Ad Annam Denneiam Anglam.

OMNIBVS in rebus quas cælũ continet & quas
Fert

Fert aer, tellus, flumina & Oceanus;
Admiranda Dei omnipotentia cuncta creantis
Ex nihilo, & varijs suspicienda modis.
Extremum sed opus magis est mirabile summi
Artificis, quo hominem nascier hic voluit.
Huic nato mulier subito est adiuncta, leuamen
Ut vitæ, certum præsidiumq; foret.
Hanc etiam eximijs ornauit dotibus, omnes
Ut norint natam conditione pari.
Etsi autem est eadem ratio qua constat uterq;,
Et si etiam æqualis mens, animusq; datus;
Diuersum tamen ingenium, diuersa voluntas,
Et diuersa etiam corporis effigies.
Deditus hic vitio, virtuti deditus alter,
Hic nullo, hic alto præditus ingenio.
Hunc videas pulchro, & specioso corpore, at illum
Thersitæ dicas consimilem penitus.
Vtq; homines inter, magnum discrimen adesse
Constat, ita in sexu fœmineo esse vides.
Hæc sapit et pulchra est, illa est deformis et amens,
Hanc decorant mores, atque pudicitia;
Illam omnes digito ostendunt per compita, & omni
Aspergunt macula, perpetuisq; notis.
Te vero exornant mores, & vita pudica,
Præclarum ingenium, gratia, forma, decus.
Ergo tuum nomen mihi semper iure coletur,
Et merito dicam. Tu mihi sola places.

Ad Humfreum Michaelem Anglum.

CVI *steriles agri vix vitæ alimenta parabant,*
Nunc equus in pingui luxuriatur humo.
Sic tu sperato fortunam non fore semper
Aduersam, ast animum spe meliore foue.

Ad Eundem.

QVI *quondã Regem Eduardum dorso excipiebat,*
Deinde Philippum Obbi, cui datus à Domino;
Nunc macie ac senio confectus vilia ferre
Cogitur, & misera conditione iacet.
O, quàm præstiterat sub primo, siue secundo
Extremum Domino tunc obijsse diem.

Ad Andream Meluinum Scotum.

NVLLA *apis Hyblæis legit de floribus vmquam,*
Deq; vllis herbis dulcia mella magis;
Dulcia vina magis numquam de dulcibus vuis
Vlla dedit vitis quolibet axe poli.
Quàm mihi dulcis ades, dulci sermone, tuisq;
Mellitis

Mellitis verbis, moribus, ingenio.
Sincerum pectus, fidei constantia vere,
Veraq; sincera cum pietate, fides,
Me tibi sic vinclo dudum obstrinxere tenaci
Meluine, vt possit soluere nulla dies.
Nulla dies soluet, distantia nulla locorum
Imminuet, firmum sed mihi semper erit.

Ad Georgium Bucananum Scotum.

NOMEN *ab ore tibi, quia Bucca et lingua lepore*
Plena est, mellifluis plenaq; verba modis.
Hanc prudens animus doctis conceptibus ornat,
Formatis doctæ Palladis ingenio.
Pallada cũ Phœbo Aonides comitantur, & implent
Cælesti dono quæ tua musa canit.
Hinc te omnes merito laudant celebrantq; loquentẽ
Si semel audierint, vel tua scripta legant.

Ad Ioannem Finetum.

SI *quis apud veteres quicquam inuenisset in usum*
Humanæ uitæ, numinis instar erat.
Hĩc Ceres et Liber, Mars, Iuppiter atq; Saturnus
Thurea mortali dona habuere manu.
Præsentesq; aras, solemnia sacra & honores

Qui

Qui tantum hic Diuis conueniunt superis.
Te quoq; prisca ætas simili coluisset honore
Illo si nasci tempore contigerat.
Utilis es patriæ, semperq; iuuare studendo
Huic, illi, nunquam desinis esse pius.
Hoc reus atque cliens, hoc diu s entit inopsq;
Si auxilio indigeat consilioq; tuo.
Ergo age cælestes Diuos imitatus in orbe,
(Ut facis, æqualem te quoque redde Ioui.

Ad Io. Alexium Anglum.

SI *uitæ integritas noxia nemini,*
Si pectus sapiens & uacuum aulicis
Curis atque etiam affectibus omnibus
Qui mentes hominum trahunt
Huc illuc, aliquem iure queant virum
Laude extollere, te iure queam. hæc enim
In te conspicua est laus. igitur potes
Condigne ac merito euehi.

Ad Torquatum Tassum.

ECCE *tibi unanimes pandunt Helicona sorores.*
Ecce tibi Phœbus laurea serta parat.
Tu uero (ut facis) Aonides Phœbumq; colendo
Quò te sacra uocant numina, carpe uiam.
Hinc tua laurigera redimitus tempora fronde
Æthereis

Æthereis pennis te super astra uehes.

Ad Cupidinem.

QVID tuæ possint Pharetræ Cupido,
Quid leues arcus, tua quid vel auro
Illita, aut molli medicata plumbo
Spicula, noui.
Ergo quid ultra feris? ecce tendo
Supplices palmas, genibusq; flexis
Oro deponas tua tela. ne me
Sperne precantem.
Sic tuum numen venerentur omnes
Quà suis Phœbus radijs coruscat.
Sic puer semper vigeas, Venusq;
Alma secundet.

Ad Lauram Fracanzanam Veronensem.

PLVS tibi quàm matri debet rosa cum tua gesta
Dextera candidior candidiore niue.
Nanque breues succus dedit hæc uitamq; caducã:
Nam quæ mane uiget, sole cadente perit.
Ast illi augetur per te decor omnis oletq;
Suauius, inq; tua gestit ouatq; manu.
Adde quod & longa est tecum uictura iuuenta,

Et ſimul æthereas mox habitura domos.

Ad Franciſcum Stellam Brixienſem.

VT ſtellæ cælo fulgent, ſic Stella coruſcas,
Et merito à ſtellæ nomine nomen habes.
Hæc uero haud quæuis ſtella eſt, ſed Lucifer atque
Heſperus, occaſu hæc, altera mane nitens.
Stella micas orbi, Veneris ceu ſtella refulget
In cælo, esq; orbis gloria, ut illa poli.

Ad Hieremiam Volaterranum.

EXCEPIT ex quo te ſemel Adria,
Nunquam reliquit, linquere nec tu eam
Vnquam potes, uerum penates
Hicq; tuam patriam eſſe ducis.
Aſt ipſe nullam ſedem habui hactenus
Firmam, nec adhuc ullam habeo, at inſcius
Quid tandem erit de me, tenebit
Quem mea cymba agitata portum;
Sum inſtar carinæ fluctibus undique
Actæ, & interdum ſi Alcyones fauent,
Ad tempus eſt. nam mox redire
Incipit Africus, & Borealis
Ventus repellens littore cymbulam

Iam

Iam iam propinquam. En octo ferè attigi
Vitæ meæ lustra, & peracta est
Pars melior potiorq́; inani
Cura, & labore. O quàm cupio iam exitum
Tranquilliorem. Quàm cupio meæ
Quod restat hic vitæ, nouare
In melius, ratione inita.
De me satis dixi. at bene gratulor
Sedem tibi optatam, & precor hanc Deus
Fortunet, ac uotis fauentem
Esse velit, placidamq́; semper.

In Gulielmũ Pagium Anglum.

QVAE te Thesiphone, quæ Alecto, quæ'ue
Mægera ex medio ac profundiori
Emergens barathro & comas colubris
Plus mille implicita occupauit, atque
Infecit, iam adeò vt venena præter,
Nil spires? Lybicæ sub æstuosa
Quis serpens regione, quis'ue draco
Effundit mage noxium venenum?
Sed quid? Vis tua nil potest nocere
Cuiquam. illa inficiunt sibi propinquos,
Et quos trasierint locos, ibidem
Afflatu interimunt suo necantq́;
Omnes. interea tuo peribit
Nemo vnquam. at tibi soli id est daturum

Extremum

Extremum exitium, tuosq; sensim
Contabescere mox videbis artus,
Nec tanto inuenies opem dolori.

In Auarum.

QVALIS *agit labor Eoliden ut semper ad ima*
Saxum deuoluat, moxq; reuoluat idem;
Qualis agit Danaes labor indefessus aquarum
Queis semel extractis, mox fluit unda sequens.
Talis amor lucri te semper uexat agitq;
Transuersum, atque animo nō datur ulla quies.
Quòd si contingat quicquid Pactolus arena
Fert secum aurifera, quicquid & unda Tagi;
Quicquid habet Persa et magnus Solimanus habe(re,
Plura tamen velles, si modo fata darent.
Interea in medijs opibus ceu Tantalus, astas,
Semper inops, semper indigus, atque miser.
Quæris, & inuentis non uteris, inscius, hæres
Quis tibi, vel quàm post funera gratus erit.
Esse negas ullum cui sint mortalia curæ,
Vitaq; ventura, ut fabula uana, tibi est.
Derides manes, loca subterranea nulla
Credis, quin totum id prorsus inane tibi est.
At (mihi crede) breui nosces verissima, req;
Experiere nimis hæc nocitura tibi.
Tunc dices, utinam prius hoc mihi persuasissem.
At sero sapies. Non feres ullus opem.

Ergo

Ergo memor lethi, ac pœnæ quam culpa mintaur,
Mitte superuacuas quærere auarus opes.
Tecum animo voluas, qui sis, quò tendis, & vnde
Huc venias, quàm sit vita caduca viri.
Linquenda est Tellus, Vxor, Natiq; & Amici,
Ac migrandum aliò. sic Iouis imperium.
Cum primum absoluent fatalia stamina Parcæ,
Vix horæ momentum hic remanere datur.
Non vis Alcyden iuuit, non robur Achillem,
Non quas immodicas Cræsus habebat opes.
Non Stagiritem sapientia, non Zoroastrem
Syderei cursus notio siue Poli.
Non cui parebat Tellus Macedonica, quiq;
Romanum Imperium et nomen ad astra tulit,
Sed quid ego exẽplis hæc prosequor? an ne sub orbe
Lunæ res vlla hic clarior esse potest?
At si hæc te nequeant exempla mouere, putabo
Quòd nimis humanæ sis rationis inops.
Vel potius diuis reiectum, iræq; perennis
Vas miserum, & nulli sis miserandus homo.

In quendam luxui deditum.

VXOREM *(dicis) talem mihi fata dederunt*
Qua nulla in terris pulchrior, ac melior.
Hæc me amat, & reliquis præfert, mortalibus, estq;
Haud vlla ex parte Penelope inferior.
Ipse autem interea mœcharis, & omnia lustra

Quotidie inuisis plena libidinibus.
Illic consumis noctesq́ue, diesq́ue, subinde,
Hanc uocem repetens, vna mihi mulier.
Vna domi mulier mihi, casta, pudica, & honesta,
Et forma sic pulchra vt Venerem superet.
Ast illa impatiens ieiuni longi, & ab illo
Sic se contemni, quæ bona, fit meretrix.
Si cupis ergo tibi vxorem castam, atque pudicam,
Sis vere ipse bonus, talis & uxor erit.
Dum fuit Atrides una contentus, & illa
Casta fuit: uitio est improba facta uiri.

In Cupidinem.

QVID me ignaue petis uinoso nate parente?
Quid blanda tentas me capere arte puer?
Obtusas tremula dextra iactare sagittas
Desine, nam quid iners ocia uana teris?
Molli femineos homines pete cuspide: namque
Offendunt fortes nil tua tela uiros.
Maximus at nitidas plumas indutus Oloris,
Aureus & summa lapsus ab arce Deus;
Phœnicumq́ue idem spatiosis mugijt aruis,
Me duce Agenorida per freta longa uehens.
Improbe mentiris formosam cortice Daphnen
Inclusam Lauro (fabula) flesse Deum.
Quicquid uaniloqui de te finxere Poetæ,
Vanum est. succubuit ne tibi musca quidem.

De Dei erga humanum genus Prouidentia.

ESSE *Deum credam? Vix certe credere possum.*
Idq́; tamen cogor credere, ne peream.
Ecce iterum dubito, & tanta est dubitatio, prorsus
Vt nullum cœlo numen adesse putem.
Mox autem hoc facinus tam detestabile cernens
Muto animum, & credo firmiter esse Deum.
Scilicet est quædam omnino mens vnica, simplex,
Perfecta, omni fine initioq́; carens.
Hæc solo uerbo quæcunque hic cernimus, olim
Condidit, & nutu cuncta creata regit.
At nos mortales (primorum culpa parentum
Tanta fuit) causarum inscia turba sumus.
Hinc est vt magna quæ cum ratione geruntur,
Credamus nulla cum ratione geri.
Cœlitus ast illa eueniunt, magnoq́; Deorum
Consilio, & casus nil nisi nomen habet.
Etsi autem bonus hic persæpe affligitur, atque
Improbus hic multa prosperitate uiget:
Non tamen id casus facit, aut fortuna, sed alto
Consilio fiunt, causaq́; semper inest.
Illa quidem nobis occulta, & plena stupore,
Sed tamen est semper iusta, pijsq́; bona.
Scilicet hanc post uitam est altera uita perennis,

Quæ speranda bonis, & metuenda malis.
Certum ibi discrimen, certa est sententia, & æquū
Iudicium. Hoc nobis arguet esse Deum.

Ad Deos pro Anglia precatio.

QVID *sibi vult cœlum tot flāmis? mixta cruore*
Quid Nubes? Tellus quo madefacta rubet?
Quid sibi vult tantus præter morē, imber aquarū?
Quid tot crebra manu fulmina missa Iouis?
Fallor? an hæc aliquid magni portenta minantur?
An fieri nulla cum ratione putem?
Quicquid erit tandem, si quid decrestis in Anglos,
Id totum in Scythas uertite Di Superi.
Etsi ullas meriti pœnas, clementia culpam
Vestra precor uincat, nec grauis ira cadat.

Ad Claudium Comitē Collalti.

MVLTI *olim ueteres, quorū monumēta per orbē*
Scriptis fama uiget, multiq; hoc tempore quorū
Mens imbuta fuit magna sapientia & arte,
Conati septemgemini trepida ostia Nili
Et celebris fontis causas aperire latentes,
Nec potuere tamen perfecte quæ sit origo
Dicere adhuc, ueráq; eius cognoscere causam,
Tā plena ancipiti ratione, atque abdita sensu.
Sic uestre domus antiquæ & longo ordine ducta

Tot

Tot preauis atauisq; simul, quos grata uetustas
Æterno immensæ laudis celebrauit honore,
Quosq; etiam nostra hac ætas insignia cernit
Clara sui decoris, per tot monumeta nepotum
Inclyta, perq; uices uarias mutabilis orbis,
Et genus intactum retinere, ut primitus, altis
Muneribusq; frui Regum, ceu regia proles,
Vnde sit initium, quis uestri nominis auctor,
Primus, adhuc fama incerta est, ĩcertaq; origo.
Id tamẽ haud dubium ex Annalibus, exq; uetustis
Historijs, illam Troiano à sanguine ductam
Iliacosq; viros generis fundamina vestri,
Vel fuit Electra genitus vel natus ab ipso
Ericthonio, alio'ue, ortu qui proximus illi.
Roma sui generis nouit primordia, nouit (pum
Urbs pataui, atque harũ quauis se iactat olym-
Usq;, suam stirpem extollens. at vestra profecto
(Si antiquis laribus quæratur gloria) non est
Inferior soboles, generis nec cedit honore.
Si egregijs factis, & clara laude uirorum,
Illustrem titulum per plurima sæcula semper
Conseruauit, adhuc etiam conseruat eundem.
Sæuiat usq; velit' Mars, & Bellona tumultu
Misceat horribili quæ pax, concordia, amorq;,
Iunxere humanis rebus, sparsoq; cruore
Confundat castos thalamos, tædasq; iugales.
Hinc multi Reges vobis amplissima iura
Concessere vltrò, tanquam immoralia vestræ

Pignora virtutis, quæ nulla aboleuerit ætas.
Quid memorẽ varias vrbes, atq; oppida uobis
Quæ olim parebant, & quos defendit ab armis
Si quando fortuna illos vexabat aperto
Marte, aut cuniculis tentabat fallere, vestra
Vis, & consilium? multos durauit in annos
Hæc statio, donec uis maior cœpit habere
Inuidiam, & uariare uices fortuna priores.
Scilicet est finis cunctarum rerum, & ad ima
Celsa cadant opus est aliquando. id Persia nouit
Græciaq;, & Roma imperio spoliata potenti,
Quod late mundi partes penetrarat in omnes.
Quid mirum est igitur si uobis contigit idem
Euentus uariæ sortis? Ditione sed ampla
Vestra domus quanuis tam multa amiserit, unũ
Hoc illi solamen adest, magnumq; Deorum
Esse uidet munus, quòd adhuc sibi prima relicta
Est sedes, primusq; locus quò uenit origo.
Quæq; sibi reges belli uirtute parata
Concessere olim, remanent illæsa, tenetq;
Munia concessa, & leges decretaq; firma.
Hæc libertatis clarissima signa retentæ.
Hæc decoris uestri non parua est gloria, rite
Si quis ponderet hæc, & iusta lance tot urbes,
Totq; suis mutata locis, dominisq; superba
Regnorũ imperia æstimet, illaq; diruta prorsus
Sic, vt uix maneant ueteris uestigia formæ.
Hæc tibi prosapies iuuenis fortissime CLAVDI
Dat

Dat nomen, primosq; ortus, laudemq; uetusti
Sãguinis, hæc genus, hæc eadẽ tibi iura reliquit.
Tu uero vt monstres tali te stirpe creatum,
Illius & dignum auspicijs, per clara parentum
Incedis uestigia, teq; pericula rerum
Nulla mouẽt, nullusq; labor quin ardua tentes,
Virtutisq; iter ingressus, quò fama perennis
Te uocat, intrepidus festines ire, & auito
Splendori decus addere. Scilicet una est
Hæc uia, qua sola cœli te possis ad astra
Tollere, magnorumq; uirûm uolitare per ora.
Ergo tibi faueant cœlestia numina, Marsq;
In primis, cuius lituos, & castra secutus
A teneris annis te fidum semper alumnum
Præbebas, quem etiam firmo uenerαris amore.

Ad Fraciscum Roßellum.

MVLTORPM ĩgenia et mores mutãtur honore.
Nulla tuos mouet gloria, nullus honos.
In te sunt quales à primo limine uitæ
Extiterant semper laudis amore pari.
Rebus in aduersis æqua ratione tueri
Quæ sunt firmi animi gloria magna quidem.
At seipsum in lætis moderari gloria maior,
Et si non maior, haud tamen inferior.
Hæc laus in te olim uisa est Rosselle, uidetur
Et nunc. quis te igitur fortior ac melior?

SYLVANVS.

IBAT *per nemora & uias remotas*
SYLVANVS, *grege credito fideli*
DAMONI. *hunc socium periculorum*
Sæpe expertus erat, simulq; in omni
Fortuna stabilem. Comes viarum
Nullus. Fistula sola quæ leuare
Curas, cura sibi est, nihilq; præter
Hanc, quærit, cupit, aut habere gestit.
Phœbus iam medium diem tenebat,
Pars vero anni, ea qua uirescit herba
Tellusq; omnigeno colore floret:
Et qua blandus amor suas pharetras
Figit certius atque amare cogit
Inuitos etiam & minus volentes.
Syluano interea canente, dulci
Concentu ac sonitu repletur aer.
Stant frondes tacitæ, nemusq; totum
Aures porrigit, & silent volucres
Hinc inde attonitæ. Orpheum putares
Hunc esse, aut similem fuisse prorsus.
Ecce autem rediens venatione
Nympharumq; sacro DIANA *cœtu*
Stipata, hoc modulamen atque uocem
Pastoris procul audit, & repente
Gressus accelerans uenit uidetq;

Syluanum

Syluarum arbore ſub uirenti, opaca,
Mulcentem æthera fiſtula canora
Et curas animi ſono leuantem.
Nunquam nouerat ante, nec ſciebat
Quis'nam eſſet, tamen hunc benigno
Et miti eloquio ſalutat, orans
Ut pergat canere.
Ipſe autem, hanc ſubito putat ſororem
Phœbi eſſe, & licet hactenus videre
Nunquam contigerit, tamen videre
Et cognoſcere ſæpe percupiuit.
Nam ſæpe audierat prius DIANAE
Nomen percelebre atque laude ſummæ
Efferri vndique ab omnibus per orbem.
Ergo hanc cernere nunc ſibi obtigiſſe,
Gaudet non modice. interim nitentis
Miratur decus oris, & nil vſquam
Non cœleſte videt præterq; morem
Humanum. Ipſe etiam ſacræ puellæ
Quæ Dianam comitantur, & pudice
Obſeruant Dominam, decore formæ
Omnes egregio bi videntur.
At Phœbus veluti ſuo nitore
Vincit ſydera, ſic putat DIANAM
Cunctas vincere gratia & micanti
Vultu, nec ſimilem eſſe, nec fuiſſe.
Sit quanquam Cytheræa, quæ'ue cauſam
Troianis dedit omnium malorum.

Syluanus

SYLVANVS nequit intuens, abunde
Expleri; utq́; aciem suis coruscans
Perstringit radijs Apollo, nec non
Spectantes hebetat, micans DIANAE
Sic splendor, modo humi tenere fixos
Deuictos oculos, modo hàc, & illhàc
Cogit voluere. iam sonusq́;, uoxq́;
Illum deserit, ac stupore plenus
Hæret, quidq́; agat, inscius moratur.
At uerbis placidis Deæ, priores
Vires atque animus redire coepit.
Lætusq́; (ut faciebat ante) rursus
Concentu vario sonabat, & nunc
Sola voce canebat. interim ipsa
Accedens propius sedet, sedentq́;
Nymphæ, sic Domina iubente, secum.
Telluris Dea gestit, atque olenteis
Flores spargit humi, repletq́; odore
Immenso loca, vbi DIANA firmat
Gressus, quá'ue pedes mouet. Napæis
Admixtæ Dryades suas relinquunt
Sedes, accelerantq́; eò venire.
Vt venere propè, Deam salutant
Submissis animis, locumq́; Nymphas
Iuxta, quæque sibi capit, nec vlla est
Quæ non pendeat ex canentis ore.
Quæ cantauerit, est referre longum,
Sed dicam tamen (ut mihi relatum est)

Summatim

Summatim ac breuiter. Vis est amoris
Quanta, & quanta fuit per omne tempus
Ex quo mundus erat. Quid sit. quæ origo
Et causa illius. Vnde fiat, iste
Vt cœco rapiatur igne, at ille
Contemnat penitus videre amanteis
Discordes animo, imparesq́ flammis.
Quanta est ambitio, & cupido habendi
Amplas diuitias. Quot Aula secum
Ærumnas ferat, & pericla. Auarus
Quam semper miser, indigusq́ viuat.
Interdum ex humili camæna in altum
Euectus rapitur per astra cœli,
Exq́ illis etiam ad Deos, canitq́
Vt diuûm atque hominum pater crearit
Orbem, & quicquid in orbe continetur.
Vt mira ratione quæ creauit,
Conseruet, moderetur, & gubernet.
Quid sol, sydera, quid'ue luna terris
Producant. elementa qualitates
Quas omnino habeant, vbi locentur,
Vnde annus varius, dies breuesq́
Et longi. vnde maris venit refluxus,
Ac fluxus pariter, canebat ista
SYLVANVS, poteratq́ plura semper
Si quando libuisset, his referre.
Lingua promptus erat, valebat arte,
Summoq́ ingenio vigebat. illi

Sylenus

SYLENVS fuerat magister olim
Quo vix clarior vllus orbe toto
Ex pastoribus, aut magis peritus.
Hic vero, vnde sibi pararat artem,
Rerum notitiamq́; nemo nouit.
Multi cœlitus obtigisse credunt.
Vt finem imposuit, DIANA grates
Ingenteis agit, & rogat molestum
Ne sit cras rediisse: se affuturam
Cum nymphis aliisq́; pollicetur.
Is vero annuit, & venit statuta
Hora, sicq́; facit die sequenti,
Et multis aliis. fuisset illi
At quanto (heu) satius redire nunquam.
Cœpit nanque miser Deam DIANAM
Ardere immodice, grauiq́; cura
Totus saucius, intimis medullis
Hærens vulnus alit, nihilq́; prorsus
Quàm illam, corde gerit. modo subibat
Menti forma nitens, modo decorus
Incessusq́;, Habitusq́;, & ipsa dulci
Quouis nectare dulciora verba.
Ceruus per mediam superbus ibat
Syluam cornibus. hunc Dea insecuta
Transfigit celeri sua sagitta:
Vix prostrarat humi, ecce aper sinistra
Parte hàc prosiluit; resumit arcum
Confestim, & sequitur volante cursu.

Dente

Dente armatus erat, minaxq́; fronte
Dira, corpore quantus ante nunquam
Vix maior potuit videri. at ipsa
Nullo exterrita vel metu, aut periclo,
Vel nymphis fugientibus, pharetra
Velox insequitur duabus horis.
Binis vulneribus ferirat hostem,
Nec vinci potuit, soloq́; sterni.
Tandem vulnere tertio grauiq́;
Ictus, concidit. At DIANA *quanquam*
Victrix, fessa tamen labore, grata
Fagi sub patulæ quiescit vmbra
Paulisper: placida sopor quiete
Obrepit subito, rigatq́; membra:
Vix per virgineos mearat artus
Qui morti similis coæquat omnes,
Vix clausos oculos tenebat, ecce
SYLVANVS, *iaculis suis cupido*
Cui præcordia vulnerarat, & qui
Quocunque ibat, ibi putat DIANAM
Esse, ac nil aliud videtq́;, amatq́;,
Illhàc fortè venit. (locus trecentis
Distat passibus, vnde vulnus illi
Insanabile, & unde origo cœpit
Extremi excidij suiq́; fati.)
Hàc ergo ueniens, uidet DIANAM
Cinctam purpureo suras cothurno,
Arcuq́;, & pharetra super uirete

Iuxta

Iuxta se positis, humi iacentem,
Solamq́; , & iam oculos quiete suaui
Claudentem inuenit. Hanc repente cernens
Agnoscit, propiusq́; adit, uidetq́;
Intentis oculis, (parumq́; castis
Fortasse.) interea excitata somno,
Syluanum aspicit. illico impudica
Cernens lumina, (sic putauit) alta
Voce exclamat. opem afferas Deorum
Supreme obsecro; protinusq́; ab alto
Audit Iuppiter, atque adesse nymphas
Omnes imperat. Hæ suam secutæ
Per syluas Dominam, anxio timore
Quærebant. Igitur (Ioue indicante)
Ecce adsunt. animis paratæ ad illa
Quæ Diuæ placeant, agenda promptis.
Extemplo iubet hunc Diana uinctis
Ambabus manibus capi, & ligari,
Mox quæcunque sibi accidere, narrat.
SYLVANVS, *quòd amet, nequit negare,*
Vel coràm simulare. confitetur
Hoc planè intrepidus, rogatq́; amari
Se saltem patiatur. Illa nullis
Orantis precibus potest moueri.
Nymphæ orant etiam genu aduolutæ
In terram, & ueniam precantur, illa
Tota immobilis hæret, atque secum
Vindictam meditatur. heū Deorum

Indignati

Indignati animi, semelq; læsi.
Quam non est facile ut benigniores
Mitescant iterum. Deûm, ac Dearum
Ira, est ut mare concitum procellis
Quod surda nauigantis aure vota
Pertransit, precibus nequitq; flecti.
Ergo dum varios modos reuoluit
Vindictæ, afficiatur (inquit) ista
Pœna; sit lapis & perenne signum
Iustæ iræ, ac media via locetur
Tanquam terminus omnibus pauori.
Actæon (licet inscius) lauantem
Quòd me viderat absque ueste, pœnas
Persoluit. scelus hoc magis nefandum est,
Nec culpæ grauitate comparandum,
Quas pœnas dedit impudens Orion
Ausus quod sceleratus iste? non'ne
Transfixus periit mea sagitta?
Vix compleuerat hæc, Iouem parentem
Votis annuat ut suis precata,
Quum mox Iuppiter annuens, precantem
Exaudit. misero statim rigescunt
SYLVANO omnia membra, nilq; habet quod
Humanam effigiem referre possit,
Ast totus lapis est, tenetq; nomen
Syluani, & situs in via patenti est.
Vt quicunque iter hàc facit viator,
Cœlestes superos amare discat

Puris

Puris mentibus, & sibi cauere.

Syluani Epitaphium.

TERMINVS *hic ponor cōtempti numinis index,*
Veraq; tentatæ fama pudicitiæ;
Sperabam sublime petens attingere cœlum
Vertice, at in lapidem uersus, ad ima feror.
Ergo Deas puro, ac sincero semper amore
Dilige, & exemplo disce cauere meo.

Precatio ad Deum.

O *quàm beatus dicier is potest*
Cui venti & vndæ sic placide fauent,
Ut possit optatum subire
Portum, & ibi sua cernere vela.
Hic non Carybdim, non rabiem alteram
Sensit minantem naufragium, neque
Diras procellas vidit, Notum
Siue Aquilonibus obuiantem.
Sed me procellis perpetuis agit
Neptunus, & si à littore non procul
Cerno ratem, hac repulsa
Turbine, longius inde iactor.
Quis finis erit tandem o maxime cœlitum,
Rerum supreme conditor omnium?
Quis finis erit? Tu iuuare

Solus, & eripere à periclo;
Solus potes ventis mare turgidum
Placare, solus nubila pellere,
Ergo affer opem, & me vocantem
Fluctibus eripe, daq; Portum.

PETRI

PETRI BIZZARI POEMATVM LIBER II.

Ad Philippum Hispaniarum Regem.

VT te multorum Cæsar post fata reliquit
Regnorum hæredem, præposuitq́ue Ducem;
Sic laudis famæq́ue suæ præconia liquit
Seruanda, & titulos quos tuerere memor.
Hos tu præclaris conseruas dotibus unà
Cum Regnis, Patrijs auspicijsq́ue foues.
Hinc tua Cæsareæ respondet gloria laudi,
Hinc tibi maiestas, hinc tibi crescit honos.

Ad Elisabetham Reginam Hispaniarum.

O quantum Sequana, o quantū tibi debet Iberus,
Quantum Ticinus, Eridanusq́ue potens.
Currebant prius haud aliter quàm concita uentis
Æquora, tranquilli nunc maris instar eunt.
Ipsa etiam lachrymis oculos perfusa nitentes

Agmina Nympharum quæ latuère diu;
Nunc passim læta exultant, ripisq; propinquis
Dant plausum, & capiti florea serta legunt.
Huius lætitiæ causa es celeberrima virgo,
Dum in Regis thalamum Regia sponsa venis.
Tu sola es firmi, atque rati inuiolabile pignus
Fœderis, & uinclum quo retinetur amor.
Vtq; duos tenuit concordi pectore iunctos
Iulia dum viguit, dumq; superstes erat:
Sic tu animos Regum prædulce ligamine sola
Innectis, pura consociasq; fide.
Ergo diurna tibi sint vitæ tempora, quò pax
Longior, & votis Iuno secunda tuis.

Ad Catarinam Mediceam Reginam Galliarum.

NVNC *Arno Eridanus cedat, Tybrisq; superbus*
Aurea deponat cornua, detq; manum.
Non ita se geminis iactabat Roma, Cybellæ
Non ita in excelso vertice mons Phrigius;
Quàm Arnus Medicea tumet, ac lætatur aluna,
Et magis augusta prole superbit ouans.
Hanc vos, o Cygni, qui tanti fluminis vndas
Incolitis, pennis tollite ad astra nouis.
Vtq; immortalis Regali stirpe Deorum est,
Sic immortalem cantibus efficite.

Ad

Ad Ferdinandum Regem Bohemiæ.

NON solum titulis Maiorum & laude paterna,
Sed proprijs meritis conspiciendus ades.
Ergo tibi merito cuncti Fernande precantur,
Prospera. iure tuum nomen ad astra ferunt.

Ad Mariam Scotiæ Reginam.

CENTENIS centena sonent si guttura linguis,
Et mihi si pandant totum Helicona Deæ;
Non ego sufficiam meritas persoluere grates,
Dij referant, hominum qui pia facta vident.
Hi tibi felicem dent semper ducere vitam,
Et tribuant Pylij tempora longa Senis.

Ad Hieronymum Priolum, Ducem Venetiarum.

MAGNVS Alexãder vetuit ne præter Apellem,
Ipsum parte aliqua pingeret vlla manus:
Hic etenim tam alijs docta præstabat in arte,
Quàm summo reliquis alter in imperio.
Hũc imitãs, prohibę ne quis præter TITIANVM,

Effigiem pingat Dux generose tuam.
Hic solus dici nostra ætate alter Apelles,
Hic alter Zeuxis, Parrhasiusq; potest.

Ad Guidum Vbaldum II. *Vrbini Ducem.*

PRINCIPES *multos numero priora*
Sæcla viderunt, videt ista multos,
At quibus cordi probitas, fidesq;,
Nomina rara.
Vt modo, atque olim, idem etiam futurum
In sequens æuum. Hinc uenit, vt bonorum
Omnium formas valeat referre
Vnica gemma.
Ergo quid mirum vt uitijs referta
Cuncta cernantur, populusq; præceps
In scelus quoduis ruat, & Deorum
Negligat iram?
Dux bonus vere typus, atque imago
Est Dei summi, at malus est figura
Dæmonis diri, superumq; pœna
Missa per orbem.
Sensit hoc Roma, indoluitq; frustra
Quando crudelis Nero, cæteriq; hac
Mente, Romani Imperij tenebant
Libera iura.

Græcia hoc sentit, varijs tyrannis
Acta, senserunt alij, probatq́;
Magna pars orbis iuga iniqua Regum
Ferre coacti.
Ergo quæ tales patitur tyrannos
Gens, dolet iuste, lachrymatq́; sortem
Flebilem cunctis, Dominumq́; cœli, hos
Dissipet, orat.
Cui bonus princeps datus, hæc beatam
Se uocat iure, atque Deum precatur
Viuat vt fælix, vigeatq́; longa
Posteritate.
Talis Vrbini tua GVIDO *Gens est,*
Talis est omni ditione sceptrum
Quà tuum extendis, Proauosq́; tales
Cum patre sensit.
Est tibi prudens animus, benigna
Mens, in aduersis dubijsq́; rebus
Semper æqualis, moderata & æqui
Semper amatrix.
Es pius, doctus, facilis, domiq́;
Ac foris clarus, validusq́; dextra,
Es tuis gratus populis, eosq́;
Rite gubernas.
Ergo sis fælix, habeasq́; Diuûm
Numina in terris tibi semper opto
Prospera, & uiuas Pyliam Senectam
Optime Princeps.

Ad Franciscum Mariam Principem Vrbinatem.

DICTVS Bellerophon pectore strenuo
Gessisse horribili prœlia dimicans
Cum monstro, ac superasse,
Quanuis igniuomum foret.
Alciden memorant robore corporis,
Et maiore animi, plurima fortiter
Egisse, atque domasse, vt
Alter, monstra minantia
Cadem. Quid memorem Tyndarides via
Qua ingressi, vt sibi iter post obitum ad Deos
Præclaramq́ pararent
Famam, & perpetuum decus?
Quid narrem Thesea? quid reliquos, amor
Quos, idem & studium accendit ad ardua?
Et quos nulla uetustas
Annosa eximet à iugi
Laude? isti ac similes sint imitamina
His tantum quibus hic nulla domestica
Sunt exempla relicta
Maiorum, & sine gloria.
Sed te clara Domi exempla & imagines
Exornant veterum siue recentium
Mauis, quos imitari

Possis

Possis perpetuò ac sequi.
Sunt clari proaui, suntq; ataui domi
Ac bello celebres; est quoque auus tuus,
Cuius inclyta virtus
Vt sol, emicat. Est pater
Viuens. hos colere, hos suspicere, (ut facis)
In promptu est. igitur hic tibi sit scopus
Ad quem singula gesta
Et mores referas tuos.

In creatione Cardinalatus Guidi Ferrerij.

GAVDETE o Sacri Colles, tuq; inclyta bello
Cum Thybri exulta præside Roma nouo.
Induit hunc Pallas Tyrio de murice ueste
Purpurea et capiti mox diadema dabit.
Tunc iterum vobis felicia sæcla redibunt,
Et quæ olim fuerant aurea, rursus erunt.

Ad Antonium Altouitam Archiepiscopum Florentiæ.

HVC huc Melpomene tuam
Tecum affer citharam & barbiton, ut canas
Insignem egregium uirum.

Hunc

Hunc uultu niueo pulchraq; crinibus
Et pulchris oculis micans
Quæ sola imperitat floribus, edidit.
Mox Arnus pater hunc suo
Exceptum gremio Naiadibus dedit
Vt crescentem alerent, sacris.
Vix lustrum ac medium ætate peregerat,
Cum mox uertice quæ Iouis
Nata, huius regimen curaq; pertinet
Ad me, inquit. mihi sic iubet
Rex Diuûm, atque hominum qui sator omniũ.
Ergo hunc ceu sibi filium
Ex se progenitum suscipit, instruit,
Formatq; ingenuis modis.
Ut vero edocuit quæ minus ardua,
Et diuersa idiomata
Linguarum explicuit, ad magis abdita
Deduxit, Sophiæ indicans
Quæ sublimia, quæq; incognita plurimis.
Vnde annus varius, dies
Longi, siue breues. unde Mare hic fluit,
Ac post refluit. Æthere
Qui fiant pluuiæ, fulgura, grandines,
Et quæ disiiciunt solo
Vrbes. Erraticis sydera cursibus,
Vel quæ fixa manent polo,
Quid possint & agant. num hæc hominẽ queant
Sic impellere vt auferant

Ius

lus mentis, uel eum pelliciant modo
Inclinentque, uelint sequi ut
Hoc, quàm illud potius. addidit his simul
Maiora, & quæ omnigenam afferunt
De dijs notitiam. Quare age quæ potes,
Plectrum Diua moue aureum,
Et psalle altisono carmine tot uirum
Ornatum undique laudibus.
Me sanè, ut sileam, commouet impares
Indocta ad numeros manus,
Obtusum ingenium, & nescia uox lyræ.

Ad Robertum Dudlæum.

QVI *comes effectus, te dignum Principe præbes,*
Dignus es ut Princeps efficiare potens.
Sic comes & Princeps Reginam in parte iuuando,
Accipias Regni tu quoque sceptra sui.
Hinc leuius fiet regimen, curaq; Britannis
Te regnante simul, iura minore dabit.

Ad Franciscum Rossellum.

ntelligit ordinē Di- ii Georgii qui anno. MDLXV. eodē tēpore missus est ad Christianisimū

IDCIRCO *haud prius hoc titulo insignitus, ut iste*
Nunc tibi cum tanto Rege daretur honos.
Scilicet id merito, quia regia mens tibi semper
Et virtus, quouis Principe digna fuit.
Utq; homines videant tibi solum regna deesse,

Te

Galliarum Regē Carolū nonum.

Te regi æquauit nunc in honore Deus.

Ad Pompilium Collalti Comitē.

QVOD bella, & cædes, quòd regni dira cupido,
Quòd discors animus, quòd male sana lues;
Quòd variæ febres, morbi, tristisq; senectus,
Infestent homines, interimantq; breui,
Multiplices hominum errores, & crimen Adami
Causa est. hinc omnis fons & origo mali.
Ergo aduersa illos cùm sors premit, excruciatq;,
Non temere id fieri, sed ratione putent.
Hinc vitam in melius semper mutare studebunt,
Atque ferent placide quod voluere Dei.

Ad Marinum de Caballis.

PEGASEA suffultus ope quàm plurima gessit
Digna immortali Bellerophonte sono.
Sed tamen hac fretus cum cœlum ascendere vellet,
Desertus cecidit, mox fuit inde miser.
Te vero haud patitur cœlo, terraq; relictum
Pegasus, at semper fidus vbiq; comes.
Hinc tibi cognomen venit, hinc laus vndiq; plena,
Hinc fama excelsus, iam super astra volas.

Ad Nicolaum de Ponte.

VT facilis per Ponte͞ homini est ingressus in vrbe
Si aggere, vel fluidis impediatur aquis:
Sic facile optatum assequar, impedimentaq; nulla
Obstabunt, fautor si Nicolaus erit.
Huius splendet honos, huius censura timetur,
Huius consilium cum grauitate viget.
Ergo meis votis bene prospicietur, & apte,
Hunc mihi propitium si pia fata dabunt.

Ad Bernardum Georgium.

QVANTVM Smirna suo vati debebat, & Ascra
Hesiodo, quantum Mantua Virgilio;
Tantum iure tibi nunc Adria debet, honore
Quam simili exornas muneribusq; sacris.
Idem progenitor Phœbus, genitrixq; Thalia,
Quæq; illis, eadem dona dedere tibi.
Ipsa etiam Iouis ex diuino vertice nata
Præstans ingenium, consiliumq; dedit.
Hi͞c fit, Apollinei vt quàm magna es gloria cœtus
Tam quoque sis Venetæ nobilitatis honos.

Ad Dominicum Venerium.

SI meritis fortuna tuis par esset, honore
Supremo

Supremo extollens, cuncta ſecunda daret.
Adderet & vires, corpusq́; per omnia firmum,
Et bene reſpondens dotibus ingenij.
Denegat hæc meritis. at quid? tua gloria ſemper
Creſcit, & eſt maior, quò magis illa fremit.
Hanc etenim ſuperas inuicto robore mentis,
Constantiq́; animo qui tibi ſemper idem.
Fortunam vincit tua virtus neſcia vinci
VENERI, vincit gloria, vincit honos.

Ad Orſatum Iuſtinianum.

ORSATE, *unde tuas laudes nomenq́;, decusq́;*
Ordiar? atque orſo quis mihi finis erit?
Si genus enumerem, longus mihi ſe offeret ordo
Stemmatis, unde micat Iuſtiniana Domus.
Si præclara uirûm geſta, & memoranda per orbem
Eiuſdem prolis, area magna patet.
Si te ſimpliciter maiorum laude remota
Extollam, ampla mihi materies dabitur.
Ergo alij hæc narrent, quibus eſt facundia maior,
Et quorum ornantur tempora fronde ſacra.
Sat mihi, ſi noris quàm ſemper candido amore
Te obſeruem, exq́; animo quã tibi fauſta precer.

Ad Petrum ac Bernardinum Lauretanos.

DESINE *iam Læda genitos extollere tantis*
Laudibus; haud sola es Græcia, ut ante, modo.
Adria nunc etiam Geminis lætatur, & illos
Iure tuis præfert, iureq; ad astra uehit.
Ambo immortales. at Castora morte redemit
Alterna Pollux, dum itq; reditq; simul.
Ambo consimiles uultuq;, animisq;. uirenti
Ambo etiam lauro tempora cincta gerunt.
Hinc LAVRETANI *meritò dicuntur,* APOLLO
Quãdoquidẽ his pater est, his quoq; musa parẽs.

Ad Cornelium Amalthæum ac eius Fratres.

VT *primum creuit, uiresq; in corpore sumpsit*
Iuppiter, o, Nutrix, ceu mihi cara parens;
Quas tibi (ait) tanto soluam pro munere grates?
Pro suscepta opera quæ tibi merces erit?
Illa (inquit) precor hoc unum des, morte carere,
Inq; meos parcas iuris habere nihil.
Annuit optatis. hinc nulli obnoxia fato
Splendida Amalthææ gloria, honorq; domus.
Quòd

Quòd vero ad reliqua, hæc tanto curauit alendũ
Si studio ut nutrix, officioq́; Iouem;
Vos quibus est mater, quanto curabit amore,
Quanta etiam cura, sedulitate, fide?
Melle illum pauit, fæcundæq́; vbere capræ.
Mella quoque hæc uobis dulcia lacte dedit.
Hinc vestrum Ambrosia mixtum, suauiq́; lepore
Eloquium, atque oris gratia tanta fluit.
Hinc vox melliflua, et quæ immanes flectere Ty-
Quæ solitis posset saxa mouere locis. (gres,
Quæq́; amnes celeri cursu retinere, notosq́;,
Et blandis syluas ducere carminibus.
Id proprium quondam fuit Amphionis & Orphæi.
Nunc solis vobis hoc tribuere Dei.
Vos autem, unde homini mellis gratissima dona,
Tuq́; etiam niueus prouenit unde liquor,
Viuite felices per prata madentia rore,
Vosq́; leuis tenero gramine pascat humus.
Et quoniam æterni sunt quos nutritis, in æuum
Vos etiam æternum uiuite, & absq; malis.

Ad Eduardum Rossellum.

ROBVSTVS ualidos progenerat viros,
Imbellis tenui corpore nascitur.
Fortis magnanimusq́;
Fortem & magnanimum creat.
Sic sanè improbus hic nascitur improbo,

Et vir qui bonus est, prouenit ex bono,
Fructus scilicet arbor
Tales, qualis erit, feret.
Naturam ars hominum expellere nititur
Sæpe, at sæpe redit ceu solet antea,
Quem talem illa creauit,
Tali est consuetudine.
Et si quem videas (sunt equidem haud nego)
Qui mores varient, & genus à patre
Non laudabile, magna id
Factum est sollicitudine.
At commune quidem est omnibus, ut boni
Producant similes, atque mali malos
(Ut dixi) hocq; venire
Vsu quilibet aspicit.
Tu Rosselle viro natus es optimo,
Et matre optima, auo consimili quoque,
Talesq; ordine longo
Hic vestra enumerat domus.
His te dissimilem non fore, singuli
Credunt. quiuis enim te patris autumat
Et splendoris auiti
Omnino fore imaginem.
Huius clara viri gloria perpetim
Floret, nec poterit obliuionibus
Ullis esse sepulta
Donec cincta mari Anglia.
Alter viuit adhuc magnus honoribus,

Et magnus meritis. Hunc tu etiam ſequens,
Deſcendentibus ex te
Fies lux imitabilis.

Ad Ioannem, Franciſcum, & Gulielmum fratres Roſſellæ Familiæ.

VOS *quoq; tam clari iuuenes quos indole pulchra*
Natura ornauit, quosq́; paterna domus;
Ite alacres animis per iter virtutis apertum:
Hæc olim vobis nomina clara dabit.
Vos nulla hic melius poterunt exempla mouere,
Inclyta Roſſellæ quàm monumenta domus.
Hanc ergo ante oculos animis infigite veſtris,
Si uos ullus honos poſteritatis habet.

Ad Gulielmum Drurum, Anglum.

TE *Mars à puero ſemper nutriuit in armis,*
Aptauitq́; tuas ad fera bella manus.
Hic tibi poſſe dedit duros tolerare labores
Militiæ, & docuit quà itur ad aſtra, uiam.
Huic te ipſum facilẽ præbẽs, perq́; omnia promptũ
Egiſti vitam glorius, ac celebris.

Sæpeq́ per medios inimicos, tela, per ignes,
Transisti, rediens victor ab hoste domum.
Sæpe tuam dextram sensere hostilia castra
Inuictam, & promptã ad cuncta pericla necis.
Hæc tu pro patria fecisti ut Martis alumnus,
Ut Marti gratus, strenuus atque ualens.
Ne vero hanc posses ingratam dicere, honores
Virtutis defert præmia vera tuæ.
Hos patriæ, domuiq́ tuæ, ac tibi gratulor, optans
Vt semper crescant vberiore modo.

Ad eundem.

BERVICVM *tandem tua venit Drure supellex,*
At nondum venit quæ tibi cara magis.
Illa mari uenit, Neptuno aurisq́ secundis,
Hæc terra, vt tecum stetq́ habitetq́, venit.
Anxius interea momentis omnibus, horis
Omnibus expectas, horaq́, mille dies.
Resq́, domusq́ tibi præsto est, & cuncta parata,
At sine ea nihil est resq́, domusq́ tibi.
Carior illa etenim quàm si contingat habere
Quot Cræsus quondam diuitias habuit.
Dij facite, hæc adsit quamprimum et sydere fausto,
Quã Venus, et Charites, quã comitatur amor.
Sic septem incolumes vnà seruabitis, hasq́
Ex uestro numero. Dij properate precor.

Ad Io. Thomam Sirletum.

PROH superi? unde ictus? quis tāti criminis author?
Quæ manus innocuo sanguinolenta fuit?
Dicite vos superi, vobis nanque omnia constant,
Dicite quo inflictū est vulnus, & unde malū hoc.
Author adhuc dubius, causa est incerta, nec istud
Vel temere, aut casu est. hinc stupor, hincq; dolor.
Ah scelerata manus, quæ te furialis Erinnis
Mouit, vt immerito vulnera iniqua dares?
Nulla Deûm tenuit reuerentia? nullaq; tanti
Herois qui aderat duxq;, comesq; uiæ?
Ah deuota manus, manus impia, dira, nefanda
Num vlterius viues? dij prohibete precor.
Scindatur subito, restetq; immobilis, atque
Truncus iners, seu sit dextera, siue soror.
Vtq; sit exemplum reliquis, det corpore toto
Quas meruit pœnas, nec ferat vllus opem.
Tu vero huc Phœbe haud differ medicamina, &
Peonias, quibus hæc plaga recēs abeat. (herbas
Tolle cicatrices, atque omnem tolle dolorem,
Et uultus totus sit modo qualis erat.
Iusta quidem peto, quandoquidem hunc tu semper
Hactenus, hic etiā te à puero usque colit. (amasti,

Ad Petrum Druetum Gallum.

CRAS *Druete abis è solo Britanno*
Per terras Dominum tuum paratus
Quascunque ille petat, sequi, & per æquor
Qualecunque sit? O Dei, Deæq;
Omnes, quorum ope quicquid obtinetur
Hic læti auspicij, datur, fauete
Drueto, & placeat Vidamum, eiusq;
Fratrem consimili fauore saluos
Seruare incolumesq;. sic honore
Vos grato unanimes per omne tempus
Mortales celebrent, colant, adorent.

Ad Hannibalem Patauinum.

CANTU *Threicij uatis & aureo*
Plectro saxa suis commemorant locis
Dimota, & rapidi fluminis impetum
Stetisse, ac domitas feras.
Quin syluas etiam cum arboribus ferunt
Pertractas, & eum quo libitum, sequi
Promptas. hoc itidem conditor oppidi
Thæbarum prius egerat.
Idem ipse, ac melius cum libet, Hannibal
Præstas. uincis enim hos cum modulamine
Vocis dulcisono, tum organici melos

Concentu, & varijs modis
Humanum ingenium, dum digitis tuis
Aptas mobilibus, atque animos rapis
E terra ad superos, exhilaras, iuuas,
Inflammas, agitas, moues.

Ad Adrianum Theologum.

QVICQVID Platonis docta uolumina,
Quicquid docent Aristotelis libri,
Pernosti ad vnguem. hos tu studere
Es solitus teneris ab annis.
At non quieuit mens tua noscere
Tantum quid horum scripta sibi velint,
Diuina, sed sensu altiori
Magna cupido fuit uidendi.
Hinc ergo omissis quæ innumeros agunt
Curis, omissa sollicitudine
Vitæ caducæ, & quæ impedire
Hoc studium valeant, remotis;
Dudum legendis te penitus sacris
Addixti, & omnino nihil extimas
Præ his quæ bona multis videntur,
Quæq; putant homines beare;
Hæc ipse contemnens, animum erigis
In cœlum, ibi noscens hominis sitam
Felicitatem humanam, & Poli
Gaudia quæ peritura nunquam.

O te

O te beatum quater, & amplius:
Quæ Regum in orbe conditio, vt tua?
Quæ vita plus hic expetenda
Est homini, melius'ue fatum?

Ad Petrum Armellinum.

QVEM *externa hic toti dominantẽ uiderat orbi*
Lux, hodierna videt prorsus inane caput.
Ergo quis humanis ausit confidere rebus?
Quis uelit hæc vnquam dicere vera bona?
Hæc possessorem semper comitantur vbique,
Seu per terram, seu per mare carpat iter.
Illa alium asciscunt antiquo e sede remoto,
Nec raro in media spe, vltima verba, vale.
Hæc hominis mentem satiant, solideq́; beatam
Efficiunt, stabili lætitiaq́; replent.
Nunquã illa explent, sed faciũt quò plura pararĩt,
Plura velint semper, indigeantq́; magis.
Posthabitis igitur quæ sunt infirma, sequamur
Quæ firma, & dici quæ bona iure queant.
Id uero fiet, si iam in sublime feratur
Mens nostra, & secum cogitet, vnde uenit.
Quàm sint vana ea quæ vulgus miratur, amatq́;,
(Quodq́; magis), quàm sint noxia si quis amet.
Hinc quæ alij tã auide exquirunt noctesq́;, diesq́;,
Nos ea ceu prorsus vilia pro nihilo
Ducemus, dabimusq́; operã, vt tendamus in oras

Cœli ſydereas, venimus vnde prius.
Hoc tu niteris, hoc ego poſthàc nitar, & opto
Vt poſſim. faueant numina vtrique precor.

Ad Meliorinum Vbaldinum.

QVIS melior te vno expugnandis vrbibus, hoſti
Vincendo inſidijs, marte vel ingenio?
Quis'ue aciem in pugnam melius diſponet apertã?
Denique bellandi quis tibi in arte prior?
Ergo qui reliquis melior, virtuteq; præſtas,
Nomina condigne tu melioris habes.

Ad Gulielmum Piccherinum Anglum.

TE penè in cœlum virtus erexerat, & iam
Vertice tangebas fulgida ſigna poli;
Inuida conatus fregit fortuna ſecundos,
Tu tamen inuicta vt palma, reſurgis humo.
Hæc cœptis inimica tuis tibi ſemper obeſſe
Conata eſt, tandem ſed tibi uicta cadet.

Ad Ioannem Aſhleum.

NON qualis fuerit publica Res, Plato
Sed qualis potius debeat hæc fore,

Scripſit,

Scripsit, nec Xenophon qualis erat Cyrus,
Sed qualis potius bonus
Princeps debeat esse. vt pius, & sagax,
Iustusq; ac reliquis partibus undique
Perfectus, nihil vt prorsus ei queat
Deesse. at nec fuit, aut erit
Quisquam hic talis. ita est (vt puto) nobilis,
Liber Castilij qui docet Aulicam
Vitam, quó'ue modo acquirere gloriam
Possit optimus Aulicus.
Quem autem hic inuenias conditionibus
Tot, tantisq; virum qui undique polleat
Virtute, ingenio, quiq; sit omnibus
Perfectus numeris suis?
At si vllus titulum uendicet hunc sibi,
Et iure id faciat, uel dabitur tibi,
Vel nulli penitus, nec poterunt uirum
Talem cernere principes.
Verum ipse (vt fatear quæ mea opinio
De te, quidq; alij iudicio bono
Dicant) solus es ille Aulicus, Anglia
Sola talem habet Aulicum,
Qualem Castilio præcipit. hanc tibi
Si hûc posset remeare, ipsemet integram
Laudem ascriberet, ac præcipuum locum &
Palmam inter reliquos daret.

Ad Thomam Randolphum.

ET ſi hac mole mea tecum Randolphe venire
Quò tendis nequeo, mente, animoq́ ſequar.
Mente ſequar, quocunq ibis, nec me iuga montis
Nec minus impedient æquora longa maris.
Quòcunq ipſe ibis, ueniam, comitabor, eroq́
Præſens, ac tecum nocte, dieq́ ſequar.
Scilicet ingenui mores, probitasq́, fidesq́,
Doctrina, ingenium, candor, & integritas;
Ipſe etiã tuus in me amor hoc Randolphe requirit,
Poſtulat hoc veræ munus amicitiæ.
Tu vero interea fauſto pede, & omine dextro
Scotiæ adi Regnum, & Regia tecta pete.
Illic orator Regina miſſus ab Angla
Lætus obi officium dexteritate tua.
Alteriusq́ animum uinclo connecte ſororis,
Conſtanti, ac firma perpetuaq́ fide.
Scilicet vt quæ ſunt duo corpora, quæq́ remotis
Tot diſiuncta locis, ſint in amore ſimul.
Sedulus id tu olim feciſti, ſedulus idem
Semper agis, ſemper fidus vtrique manens.
Macte itaque ingenio & vere Cyllenia proles,
Perge tibi æternum laude parare decus.

Ad Franciſcum Fatium de ſigillo.

VINA mihi mittis pretioſa & digna, Tonanti
Quæ Ganimædæis tradita ſint manibus.
Me vero quanquam guſtus dulcedine febris
Orbauit, veniunt hæc mihi grata tamen.
Hæc etenim inſtaurant vires, mentemq; relaxant,
Hæc ſtomacho proſunt eſuriemq; cient.
Hæc animis curas pellunt, greſſusq; labantes
Firmant, his etiam redditur alma quies.
His uenæ, arteriæ, ſanguis, iecur, hisq; iuuatur
Cor, hepar, cerebrum, & quæ meminiſſe facit.
Singula quid referã? nulla eſt pars corporis, in qua
Non multum Liber conferat auxilij.
Ergo tibi grates, quas poſſum reddo, liquore
Qui mea tam dulci languida membra foues.

Ad Nicolaum Stopium.

ME quanquam Lycius Sacer
Nunquam tam placido lumine uiderit,
Vt vel Caſtalijs aquis
Dignatus fuerit, vel mea tempora
Lauro cingere; quos tamen
Dignatur, meritis ſemper honoribus
Amplector,

Amplector, colo, diligo,
Atque idem faciam dum mihi spiritus.
Ex horum numero es quidem
Unus, cui bene uult Delius, & fauet.
Ergo his nominibus meum est
Te semper colere ut uirum
Præstantem, & cui frons uiret
Daphne, quemq; sacræ Pyerides amant.

Ad Philippum Basiadonam.

NVNQVAM *(ut fama refert) olor*
Cantat, ni Zephyri flatibus hunc suis
Spirantes recreent. ita
Ni Regum & procerum adsit placidus fauor
Lenisq; aura, nihil canent
Uates. plectra etiam & cum fidibus lyra
Squalenti obsita puluere
Matescent, & erunt semper humi obruta.
Mæcenas modo sit, Maro
Non deerit. tenera ut populeo indiget
Vitis præsidio, ut puer
Nutrice ut eum alat & foueat sinu;
Sic docta ingenia & bonæ
Artes auxilio principis. illius
Munus præcipuum quidem est
Has tutarier, & prouehere in suis
Regnis, ut uigeant. quid hoc

Eſt præclarius? at exiguus fuit
Hic ſemper numerus viri
Talis. nunc etiam rarior & minor
Cum in peius ruere omnia
Cernantur. fateor eſſe aliquem. at quota
Pars eſt præ reliquis modo
Qui curet ſtudia & Cecropium decus?
Cui cordi Aonius Chorus?
Ecquis diuitias? quis titulos habet?
Quis magnis in honoribus?
Num docti atque probi? nil minus. ergo qui?
Longe his diſſimiles. rudes,
Ignari ac ſtupidi, quiq́; etiam improba
Vita & moribus undique
Infames. igitur quem iuuet amplius
Parnaſſi nemora & ſequi
Colles difficiles? nectere quid caput
Myrto? Caſtalijs aquis
Quem hic os proluere? & quid toties Plato
Lectus? notio quid poli?
Quid cognoſcere quot Climata, quæ omnium
Rerum cauſa ab origine
Prima ediſcere? nil hæc homini afferent
Laudis, nil tituli atque opis.
Quin magna hinc potius damna laboribus
Mixta ingentibus. vtpote
Morbi & canicies ante diem, ipſaq́;
Mors, quæ tarda alijs, ei

Semper

Semper præpropera est, quid memorem ut dies
Mira sollicitudine
Totus transigitur? nox etiam inquies?
Ut curæ vigiles, genis
Pallorq; assiduus? ergo age quid lyra?
Quid testudo dabis caua?
Quid tu Melpomene? quid sophia? inquiunt
Multi. non nisi inania
Verba & plena dolis conspicimus dari
A uobis. alia uia
Tentandum ut ueniant quæ cupimus. uides
Quàm omnino hæc ratio efficax
Fortisq; ac ualida; ut suadeat & trahat
ures, idq; potissimum
Qui præsunt uitio & crimine. nos tamen
Constantes animo simus
In rectis studijs. nec quid agant mali
Reges, atque alij, grauis
Sit cura, at potius quid facere ac sequi
Præstantem deceat uirum
Quem sola hunc moueat gloria. nam licet
Virtuti sua præmia
Non dentur, tamen hæc est sibi præmium.

Ad Ioannẽ Gressopum Anglum.

MILITIAM *veteres iustè, sanctèq; colebant,*
Atque uti rem sacram sanctè habuere diu.

Hostem

Hostem appellabant peregrinum, ut lenior esset
Quisque in deuictum nomine, req; simul.
Quisque suis ducibus parebat, & ordine summo
Quisque ibat, proprij muneris usque memor.
Summa erat in bello recti obseruantia, & aequi,
Summa fides hosti quae semel hoste data.
Regulus exemplo est magis ad crudele redire
Supplicium statuens, quàm uiolare fidem.
Manlius exemplo est qui natum caede necari
Iussit, ut aequali conditione foret.
Haec uero facies tam pulchra, & sancta prioris
Militiae paulò post uariata fuit.
Scilicet ut reliqua omnia sunt mutata, sic ipsa
Militia, & uerè nil nisi nomen habet.
Exuit antiquam formam, ueteremq; figuram,
Et nunc deformis quae modo pulchra fuit.
Monstrifera est oculis, vultuq; & tota minaci
Fronte, ac terribili sanguinolenta manu.
Eumenides dicas ex ipsis faucibus orci
Misisse hanc pestem, ut perderet omne bonum.
O quoties minimas ob causas pectora Regum
Hae dirae inflammant, & fera bella cient?
Nec sanè est illis maior, potiorq; uoluptas,
Quàm uidisse odijs omnia plena malis.
Omnia consumi ferro, caede, igne, rapina,
Mortalesq; simul vergere in omne nefas.
Hinc fit, quòd miles fremit horridus ore cruento,
Nec scit stare loco, sed furit impatiens.

Etsi

Et si pax coeat, uel sint induciæ ad annum
Aut lustrũ, heu quam illi hæc paruula lõga mora
Quàmq; indignatur superis, blasphæmat, eãq; (est?
Sublatam uellet protinus è medio.
Ritè igitur Gressope facis, quòd tam pie, & apte
Militis ostendis quale sit officium.
Quid facere hũc deceat, quò sit iustusq;, bonusq;,
Vtq; Deo placeat quum sua tela gerit.
Cumque manu ualidus ferit atque interficit hostem,
Intrepidusq; animo per media arma ruit:
Vnde petenda sibi uictoria, & unde petendum
Auxilium, vt redeat tutus ab hoste domum.
Hæc ipse insigni eloquio & ratione petita
E sacris verbis historijsq; doces.
Ergo tibi multum debent qui castra sequuntur,
Et quibus astriferi semita grata poli.

Ad Ricardum Leum Anglum.

SATVRNO *dominante olim, tranquilla colebant*
Ocia mortales, & genus omne boni.
Nulla erat ambitio, regnandi nulla cupido,
Auri nulla fames, nauita nullus erat.
Quisque suos fines in summa pace tenebat,
Hos ultra non plus amplificare studens.
Saturno at postquam successit Iuppiter, orbis
Mutari cœpit conditione sua.
Tertia postremo ætas, deinde hæc ultima uenit

Deterior, cunctis, totaq; plena dolis.
Hinc bello inter sese homines cœpere cruento
Sæuire, hinc etiam plurima damna pati.
Hinc fas corruere, hinc leges, iustumq;, piumq;
Extingui, hinc cædes, hinc genus omne mali.
Rex Regnum cupere alterius, multasq; parare
Insidias, illum vt sede sua eyciat.
Hinc factum est olim vt Medorũ Regna perirent,
Et Græci Persis imperium arriperent.
Ipsa etiam uictrix Orientis Græcia uicta est,
Et quæ illam vicit, barbara vicit humus.
Quid mirum est igitur si Reges, oppida, & vrbes
Præsidys firment, innumerisq; modis?
Vtpote prævalidis muris, fossisq; profundis,
Aggeribus, portis, turribus, atque vadis?
Nonnullis fateor, multum natura benigni
Auxily tribuit commoditate loci.
Hoc tamen haud satis esset, ni ars humana doceret
Diuersas recta cum ratione vias.
Scilicet hæc monstrat quì defendamur ab hoste,
Quaq; malum impendens effugiamus ope.
Hac sine, quot loca direpta, & spoliata iacerent,
Ferroq;, ac flammis diruta sepe forent?
Quanta foret strages, cædes, effusio quanta
(Vt reliqua hic sileam) sanguinis innocui?
Horresco referens quid fiat tempore belli,
Si quam vrbem inuadat hostis, eamq; capit.
Etsi autem natura situ Oceanoq; tuetur

Plura loca, ingenti præsidioq́ fouet,
Ars tamen inuenit quàm plurima, quæ irrita red-
Consilia hostili præmeditata manu. (dunt
Hæc portus firmos reddit, roburq́ ministrat,
Et numero exiguo castra inimica fugat.
Hæc facit vt miles per mille pericula uitæ
Militiam intrepidus nocte, dieq́ uelit.
Hæc facit vt ciuis tutus reddatur in urbe,
Et nauta effugiat sæua pericla maris.
Hæc docet agricolam committere semina terræ,
Atque illum semper spe iubet esse bona.
Hac mercator opes sibi magnas colligit, hacq́
Sustentat uitam pauper, alitq́ suos.
Hæc seruat studia & ueræ uirtutis amantes
Protegit, ac tuto continet hospitio.
Hæc miseris affert solamen, denique sola est,
Quæ genus humanum sustinet incolume.
Ergo quis inuentas artes non laudet, & ipsos
Authores operum non super astra uehat?
Ex his unus ades Ricarde hic ex meliori
Præcipuaq́ nota, quem Anglia iure colit.
Quiuis enim nouit, munimina quanta reperta
Sint isthic opera consilioq́ tuo.
Viue igitur felix, & longum uiue per æuum.
Viuant BERVICI *mœnia, stentq́ diu.*
Viuant, stentq́ diu, quæque imperfecta uidentur,
Sint perfecta omni ex parte, breuiq́, rogo.
Imbribus hæc Iuno, æquoreis Neptunus ab undis,
Mars

Mars bello, atque Deûm Maximus igne poli.
Ipſa dies etiam quæ cuncta hic ſoluit, edaci,
Præſeruet ſenio, detq́ ſaturnus opem.

In Spinam.

MATER *ſæpe ſolet ſibi*
Prorſus conſimilem gignere filiam
Vultu & moribus. at Roſam
Quæ ſuauem generat, ſemper erit ſuæ
Natæ diſſimilis. potens
Sic natura dedit principio ut foret.
Hæc pulchra, & bene olens placet
Semper ſiue uiris, ſeu mulieribus.
Illa ut horrida, & hiſpida,
Contactuq́ ſuo ſpicula ſanguinem
Emittentia, proferens,
Cunctis diſplicet, & quiſquis eam legit,
Ne obſit, ſollicitus cauet.
Illam ergo, quoniam ſic ferit, odimus;
Per ſe omnes, timidi ſuo
Ne tactu officiat: quæ uenit ex ea,
Cara eſt ut Veneri ſacra,
Ut pergrata oculis, atque perutilis
Ad multa, ut redolens magis
Quàm flores reliqui, ſeu violas velis,
Aut candentia Lilia,
Siue in quem propria captus imagine

Humanam effigiem exuit
Narcissus, uel eum in quem Telamonius.
Quocirca hæc beneficia
Quæ flos tam egregius exhibet, impetrant,
Ut matri licet horridæ
Parcamus, ueneremur, quoniam ex ea
Talis filia prouenit.
Inq; hortis uiridantibus
Hanc propter sobolem, locum
Demus præcipuum, ut præcipuum decus.
Ex te Spina, aliud nihil
Quàm spina. es rigidis undique uepribus,
Et spinosa, nocentia
Figis quà potes, & qui procul, hos quoque
Pungis, nil amicitia,
Nil candor valet. at vulnera quæ tua
Spina proueniunt, tibi
Plus damni, quàm alijs (crede mihi) afferent.
Nam cui cognita erunt semel,
Vitabit melius, teq; aliud nihil
Quàm spinam esse uidens, tuo
Conspectu fugiet, & sine odoribus
Cernens ac sine gratia,
Dicet, spina uale segnis, & aspera,
Nec te vllus colat in suis
Hortis, at maneas vilis & hispida
Semper, sitq; procul Venus
A te, Nereides, ac puer arcifer.

Dumetumq;

Dumetūmq́; colat gelu,
Et subtus teneant omnia uiperæ,
Nec te unquam aspiciat suo
Is, qui orbem exhilarat lumine Delius.

In derisorem.

DERIDES cunctos, cunctis ridendus ubiq́;
Ipsemet, ac uulgi fabula nota diu.
Vultus Thersitæ similis, deformeq́; corpus,
Deformes oculi, frons, caput, ora, genæ.
Sardonicus risus, mores stultissimi, & ipsa
Vita tibi infamis, plenaq́; dedecore.
Diuitiæ nullæ. quòd si has fortuna dedisset,
Quis te uno hic esset intolerabilior?
Ergo qui meritò es cunctis ridendus, inani
Perge hac stultitia sic placuisse tibi.

Ad Marium verdeZottum.

NVNQVAM parnasum potui cōscendere montē,
Nunquam pierij sumere fontis aquas,
Nunquam Phœbæa circundare tempora lauro,
Atque Aganippææ tangere plectra lyræ.
Contendi sanè, at medio me numina cursu
Deseruere, pedem sicq́; miser retuli.
Hoc te Pimplæides tali dignantur honore
Dum tibi munifica dant sua dona manu.

Hinc seu Romano eloquio, seu pangis Etrusco
Carmina, Mæonio sunt ea digna sono.
Æneam, docti celebrauit musa Maronis,
Perq; illam toto cognitus orbe fuit.
Hunc tua musa Italis illustrem reddit in oris
Et voce Ausonia nunc sua bella canit:
Quantaq; sit passus terraq; mariq; pericla
Dum fato Hesperiæ littora amœna petit.
Quid referam ut Venetæ narres primordia gentis,
Euentus uarios, prœlia, fata, decus?
Hæc ipse altisono modularis carmine, quali
Minciades olim Calliopea tuus.
Quod si uera foret Samij sententia, prorsus
In te huius manes nunc rediisse putem.
Fallor, an est alius genius quem misit ab alto
Iuppiter, æquali gloria, honore pari?
Quicunque is tandem, est cœlesti mente creatus,
Vt magno plenus numine, magna canat.
Hinc certe haud mirum si iam Latonia proles
Imponat capiti laurea serta tuo.
Haud mirum si Thespiades Helicone recluso
Dent bibere Aonio Fonte, nihilq; negent.
Quare age Pegaseo iam sydera tange uolatu,
Sublimiq; feri vertice templa Deum.
Atque ibi perlustrans quibus immortale paratur
Hic, decus, astriferi pande secreta poli.
Quæq; tua æolio meditata Poemate Clio,
Ede, & Apollineo te quoque iunge choro.

Ad

Ad Cœliam. N.

FVLVVM aurum crines, nix uultus candida ab
Mox ueniens cœlo, nigra ſupercilia; (alto
Quæq; hebenũ uincant, uel ſi quid pulchrius illo eſt
Labra genæq; roſis purpureis ſimiles.
Ipſi oculi duo ſydera queis venus atque Cupido
Transfigunt animos dum ſua tela mouent.
Corporis hæ dotes. at quis narrabit abunde
Cecropias artes palladiumq; decus?
Hæ tantum reliquis addunt ſplendoris, Apollo
Quantum nocturno tempore ſyderibus.
At quoniam ſunt innumeræ, mea muſa ſilere
Mauult, quàm de illis pauca referre loquens.
Scilicet Oceani quis poſſit dicere arenas?
Quis conuexa poli ſydera quando nitent?
Ut vero cumulata forent hæc munera, Iuno
Diuitias, claram progeniemq; dedit.
Sed mihi (proh ſuperi) quid proſunt iſta, ſuperbe
Si me contemnis atque inimica fugis?
En ipſe vt rapidum noua cera liqueſcit ad ignem,
Conſumor, vitæ & iam vigor omnis abit.
Tu vero haud ſecus ac Phœbum Peneia virgo,
Faſtidis penitus grataq; pœna tibi eſt.
Alme puer Veneris, Veneris gratiſſima cura
Cui paret tellus, cui mare, cuiq; polus;
Plumbea tela in me iacito, uel cuſpide eadem

S 4 Hanc

Hanc ferias oro, ut ardeat igne pari.
Sic tibi sit gratus quisquis tua munera sentit,
Sicq; tuum numen femina virq; colat.

Incerto autore.

CVM *Venus intenso natum clamore uocaret,*
Si quisquam in triuijs errantem uidit Amorem,
Hic fugitiuus ait meus est. precium feret index,
Basiolum Veneris. quòd si ad me duxerit illum,
Non tantum dabo basiolũ. plus hospes habebis.
Insignis puer est. en omnia percipe signa.
Non est candidulus, uerum ignẽ imitãtur ocelli
Acres, flammeoli; mala mens, suauissima uerba.
Quod loquitur, non sentit. ei uox mellea, sed cum
Ira inflammatur, tum mens est aspera, fallax,
Fraudator, mendax. ludit crudele puellus.
Crispulus est, olli uertex faciesq; proterua,
Exiguæq; manus, procul autem spicula torquet.
Torquet ĩ ũbriferũq; acherõta, et regna silentũ.
Membra quidem nudus, mentẽ uelatus, auisq;
More quatit pẽnas, & nunc hos, nũc petit illos;
Sæpe uiri prensans præcordia, sæpe puellæ.
Arcũ habet exiguũ, sed et arcu ĩposta sagitta ẽ.
Parua sagitta quidem, sed cœlũ fertur ad usq;.
Parua pharetra illi dependet, & aurea tergo.
Sũt et amari ĩtus calami, quibus ille proteruus
Me quoq; sæpe ferit matrem. Sunt omnia sæua,

Omnia

Omnia seq; ipsum multo quoque sæuius angit.
Paruula fax illi, solem tamen urit & ipsum.
Illum si prendas, age ne miserare puellum.
Si flentem aspicias, mox ne fallare, caueto.
Sin arridebit, magis hinc time; basia si fors
Ferre uolet, fuge tu. sunt noxia basia in ipsis
Multa uenena labris, si fors ita dixerit, heus tu
Accipe, nepe tibi cũcta hæc mea largior arma:
Ne continge, caue fallacia munera Amoris:
Omnia quippe igni sunt infecta illius arma.

In laudem Scipionis Africani.

QVOD fueris bello præstans, prudensq; feroxq;,
Quòdq; triumpharis, oppida plura domans;
Id tibi cum multis Scipio commune: recusas
Dum uero id capere quod tibi sponte datur;
Hæc tua solius laus est, & gloria. sola hæc
Te dijs æqualem perpetuumq; facit.

In laudem Iulij Cæsaris.

QVOD totũ terrarũ orbem tibi maxime Cæsar
Subdideris, magna est gloria, magnus honos.
Non tamen hic solus tuus est: Fortuna Ducesq;
Qui tecum fuerant, iure aliquid repetunt.
Quod uero clemens fueris, tua gloria sola est,
Et sola hæc superis te facit esse parem.

In

In laudem Pyrrhi Epyrotarum Regis.

INTER præcipuos Reges in marte feroces
Pyrrhe vnus semper connumerandus eris.
Sæpe etenim bello atque armis tua cognita virtus
Dum sæpe hostili ex agmine victor abis.
Nil tamen æque orbi te illustrem reddidit, auro
Vt spreto miles redditus innocue.
Hoc tibi Romanos firmo deuinxit amore,
Hoc Regem, hoc genitum te arguit Æacide.

Exemplum ad Reges super Hannibale.

IAM tua Roma erat, et totus quasi subditus orbis,
Ni obstasset blandis delitijs Capua.
Hinc capite exemplum Reges, hinc noscite fructus
Oci lethiferos, desidiemq; malam.

In Sardanapalum.

OCIA, desidies, luxus, tua sola voluptas,
Gloria delitiæ, mars tibi turpis amor.
Hinc Regni uitæq; fuit iactura, perenne

Dedecus

Dedecus, hinc famæ ac nominis interitus.
Ergo tuo exemplo admoniti Regesq́ꝫ Ducesq́ꝫ
Virtutem uitijs præposuisse uelint.

In quendam Sardanapalicæ vitæ sectatorem.

TIGRIDIS *in morem properas ad corporis illa*
Commoda, quæ solus Sardanapalus amat.
Ast mores animi componere, nil tibi curæ est.
Ocia mors tua sunt, & tibi semper erunt.

In impostorem.

FLOREM *dextra gerit, laqueū fert læua malignū.*
Lingua dolos nectit, dat mala cauda necem.

Ad Alexandrum Citolinum.

NVNC *Zephyro Boreas cedit, nunc pinguia præ*
Gramina, nunc uario terra colore nitet. (tis
Nunc pictæ uolucres concentibus æthera complent,
Clarior & solito Phœbus ab axe micat.
Omnia nunc rident, syluæ ramiq́ꝫ uirescunt,
Arboribusq́ꝫ redit qui fuit ante decor.
Quis non rura modo urbi præferat, oppida uillis,
Magnificas ædes quæ minus arte valent?

Sunt

Sunt certe innumeri quibus omnia sordida præter
Vrbes, ac nequeunt inde mouere pedem.
Ast ego, ni uotis fortuna resisteret, illis
Posthabitis, tantum rura mihi eligerem.
Hæc olim veteres supremo habuere in honore,
Isq́; bonus vir erat qui bonus agricola.
Hinc Prætor, Censor, Consul, Dictator & Augur,
Hinc tituli & fasces præcipuumq́; decus.
Testes sunt Fabij, Pisones, Lentuli, ab agris
Perducti Romam, vt libera iura darent.
Hos neque regnandi uexabat dira libido,
Nec cæcus lucri sollicitabat amor.
Contenti, sibi quæ tellus bene culta ferebat,
Vincebant Reges conditione sua.
Ast ubi simplicitas & uitæ sobrius usus
Desiit, heû quæ orbi mox subiere mala.
Tunc Æpimetheus dolium reserauit: ab orco
Tunc primum Eumenides exiliere foras.
His hominum mentes uarijs affectibus actæ
Nil nisi quæ pugnant cum ratione uolunt.
Vtq́; illis ratio sublata est, sic quoq; demptum
Robur, & illa prior corporis integritas.
Scilicet vllus erit qui quot mortalibus ægri
Eueniant morbi, connumerare queat?
Ante quis Appuliæ dicet quot montibus errent
Agni, quot uolucres æthere peruolitent.
Æquora quot pisces, quot sicco in littore arenæ,
Quot fluctus uerset Euripus vsque sonans.

At

At quo nunc rapior? non hæc mihi carminis huius
Materia, ut tractem hæc uberiore modo.
Tu mihi materies tantum quem rura lociq;
Semoti oblectant, perpetuoq; placent.
Illic populeo teneras fulcimine uites
Nectis, nuncq; piros inseris arboribus.
Nunc uarijs ornas herbis & floribus hortum,
Nunc etiam irriguis das uegetentur aquis.
Nunc auibus laqueos & subdola retia tendis;
Nunc leporem atq; aprum gnauiter insequeris.
Hæc tibi pro grato ac dulci oblectamine sumis,
Mollia quò uites ocia, sitq; labor.
At quiddam magis est quod te delectet, ab annis
Quodq; tibi primis discere cura fuit,
Pegaseum studium, ueteresq; nouiq; probati
Quos legis Authores, doctaq; scripta uirûm.
Quinetiam interdum quæ alij laudentq; legantq;,
Marte tuo scribis carmine, siue prosa.
Artibus his animum pascis, corpusq; labore
Exerces, nec te cura metusq; premit.
Fortunaq; tua contentus, nil cupis ultra:
Sic magnas Regum pectore uincis opes.
Nec tamen interea fidi doctiq; sodales
Desunt qui inuisant colloquijsq; iuuent.
Vrbem tunc tantum inuisis cum scilicet urget
Res aliqua, aut munus propter amicitiæ.
Protinus inde abiens repetis dulcissima ruris
Hospitia atque domus ocia amœna tuæ;

Cara

Cara ſtatim occurrit coniux & cara paternos
Quæ referant mores pignora, quiq; genas.
Ecquæ igitur melior uitæ ratio'ue modus'ue?
Quæ hic homini melior conditio eſſe poteſt?
Etſi autem ruris ſtatio gratiſſima ſemper,
Hoc tamen eſt anni tempore grata magis.
Vere etenim rident (ut dictum eſt) omnia, uere
Omnis ager floret, cunctaq; amabilia.
Me ſane multa impediunt retinentq; uenire
Iſtuc ne poſſim, ac uiuere pro arbitrio.
O quàm hoc ex animo facerem, tecumq; quod ultra
Vitæ, tranſigerem, ſi modo fata darent. (eſt
Sed quid? uiuendũ ut queo, nec mihi plura rogãda
A ſuperis, quàm quæ tradere ſponte uelint.
Interea iſtius tibi gratulor ocia uitæ,
Et precor ut faueant Numina cuncta poli.

Ad Ioannem Iuellum Anglum.

S I M *longo ſpatio licet locorum*
Diſiunctus, licet annus atque luſtra
Curſus perficiant ſuos, locorum
Non diſtantia, non dies peracti
Obſtabunt, ne animo meo Iuelle
Præſens perpetuo ſis. hoc merentur
Mores, hoc pietas, tuusq; candor,
Doctrina, ingenium, atque amor benignus
Quo me proſequeris, iuuas, foueſq;

Ad

Ad Claudium Merulum.

COGNOMEN *Merulæ iure tibi obtigit*
Claudi, quandoquidem ut inter aues, auis
Hæc suauissima cantu, modulamine
Miro aures hominum afficit;
Sic tu melliflua uoce canens, tuo
Sic dulci sonitu, cum libet organa
Pulsare, aut generis alterius fides
Suaui tangere barbito.
Dulcis colloquio, gratus, amabilis,
Dulcis moribus, & omnia dulcia
In te. iure igitur hoc Merulæ tibi
Cognomen superis datum.

In Festo Natalis Domini.

ECCE *Natalem Domini reducit*
Annuus cursus, redit ecce nobis
Alma lux albo & niueo notanda
Usque lapillo.
Hæc fuit nostræ initium salutis,
Hæc mali finis, miseræq; sortis,
Quæ graui oppressos tenuit ruina, ob
Crimen Adami.
Nanque eramus propter id è supernis
Exules facti domibus, uagantes

Hûc

Hûc & illûc, ac procul à quiete
Sedeq; firma.
At Deus sola bonitate motus,
Filium, quo nil carius, & illum
Vnicum, misit, patriæ vt priori
Redderet olim.
Cumq;, plusquam in Cimmeria iacentes
Nocte, nec Phœbi radios uidere,
Nec minus, clausi poteramus atro
Carcere, per nos
Liberi exire. en Deus (o benigna
Munera, & semper celebranda) solus
Inde nos duxit, tribuitq; olympi
Cernere lumen.
Atque placari uoluit, resumens
Pristinum uultum, placidamq; frontem
Ceu pater clemens, uoluitq; dici
Qualis & ante.
Hoc sacri Vates cecinere quondam
Spiritu afflati æthereo, Sibyllæ
Hoc decem, quæ ueridicio canebant
Ore futura.
Sed quis hoc credat, ratione quâ'ue
Possit adduci vt putet esse natum
Qui fuit semper? potuisse obire
Vnde aliorum
Vita dependet? nihil est creati
Orbis hæc moles, nihil est profecto
Quicquid

Quicquid humanis oculis uidetur
Præ orbe redempto.
Nulla uox vnquam poterit referre,
Mens opus nulla hoc penetrare, & ipse
(Quod magis) cœtus etiam Angelorum hic
Mutus, & anceps.
Sed fide id tantum, atque animo supernæ
Gratiæ claris radijs nitenti
Noscimus, sola hæc uia, Dux, Magistra
Solaq; nutrix.
Mentis hæc nostræ tenebras repellit,
Erigit, firmat, solidatq;, rebus
Nec non aduersis recreat, bonaq;
Spe iubet esse.
O dies ergo patribus cupita
Omnibus longum, sine qua salutem
Nemo sperabat, sine qua haud patebat
Ianua cœli;
Fausta, solennis, celebrisq; semper
Hûc redi, & semper, quoties reuisis
Nos, ueni felix, & amica, sisq;
Sacra quotannis

In Festo Diui Stephani.

SI *oli[illegible] insigne aliquid pro vrbe Quiritium,*
Vel pro ciue aliquo factum erat, inclyti
Facti vt laude perenni
Esset clara memoria;

Cuiuis pro merito debita præmia
Dabantur, viridi huic tempora quernea
Pro mercede corona
Cingebant. alijs comas
Solo ex gramine. multis caput aurea
Quorum in marte prior viuida gloria.
Quiq; ex hoste redibat
Victor, sed mediocria
Tantum gesserat, huic myrtea frons erat
Compensatio. qui maxima, publice
Lauri ex fronde dabatur
Sertum quod foret aureum.
At quæ ornat Stephanum laurea, nil habet
Prorsus consimile. Huic materies enim
Non aurum, atque virentes
Frondes, ceu reliquis, inest.
At res perpetuæ, quas neque mens potest
Quantumuis sapiens, multaq; nouerit,
Hic comprehendere, verbis
Nec quisquam valet assequi.
Hic ex martyribus præcipuus fuit
Et primus proprio sanguine qui fidem
Sinceram asseruit, dans
Exemplum venientibus.
Quòd si pro patria qui occubuit sua,
Cunctis euehitur, quì decet hunc uehi
Qui pro relligione
Vera, proq; fide oppetit?

Si multis etiam dulce fuit mori
Pro natale solo, quàm innumeris erit
Longe dulcius, ut pro
Vita, & gloria opificis
Occumbant? uoluit Regulus, & Cocles
Ac plerique alij, pro patria mori,
Exultimq; ferebant
Quoduis supplicium, quò ei
Prodessent. Fuit ingens numerus Patrum
Quos hic pura fides omnia perpeti
Tormenta, atque paratos
Crudelem impulit in necem.
Non blandæ poterant illecebræ, aut preces,
Illos flectere, non maxima munera,
Nec pœnæ genus ullum,
Ut vanos colerent Deos.
Hæc constantia firma, hic animus necis
Contemptor fuit ardentior in noua
Lege, ex quo Deus alto
Natum misit ab æthere.
Ut primum hic moriens, morte sua genus
Humanum redimit, hosteq; mox humi
Strato, à morte resurgens,
In cœlum redijt, patrisque
Assistit lateri, corda fidelium
Inflammare suo spiritu & ignea
Vi cœpit, reserando
Cœlestis sapientiæ

Thesauros niueæ sub specie alitis.
Hoc accensi animi, protinus omnia
Hæc mortalia spernunt
Et cœlestia cogitant.
Hic mentem Stephani accenderat, vt nihil
Quàm Christum saperet, nilq; aliud magis
Arderet, potiusq;
Hunc nudum colere, ac frui
Vellet, quàm Attalicas diuitias, opesq;
Augusti. intrepidus hunc animo, & fide
Inuicta esse fatetur
Messiam, unde redemptio, ex--
Pectanda in populis Israeliticis.
Amplecti hunc Solymas, hunc colere, hūc sacra
Diuinaq; latria
Debere excipere, ac sequi.
Venit, venit (ait) quem ore Prophetico
Prædixere patres. frustra alium à Deo
Expectabitis. hic est,
Hic certe est, (mihi credite.)
Vidistis quam in eo oracula sint patrum
Completa omnia. quid quæritis amplius?
Vt miracula narrem?
Vt signa edita proferam?
Hæc sunt cognita vobis. oculis ea
Vidistis proprijs. ergo agite o viri
Iuda, quæ mora nunc uos
Tam longa implicitos tenet?

Qua

Quæ vos segnities? quæ sapientia
Demens nunc retinet? linquite, linquite,
Atra hæc nubila mentis,
Et tandem resipiscite.
Cur duritia quæ detinuit patres
Vestros, illa eadem vos habet? an lates
Quàm sæui atque rebelles?
Quàm sæpe innocuos, piosq́;
Ac sanctos homines morte necauerint
Tãtum ob ueridica? heu heu sit satis hactenus;
Iam deponite legis
Vestræ dogmata inania.
Sat longum fuimus sub veteri, & Mosi
Sat seruiuimus. En nunc alia est uia
Multo dignior, vnde
Sit posthac homini salus.
His dictis, oculos figit in æthera
Clareq́; intuitur claustra patentia
Cœli, atque aspicit illic
Sublime imperium Dei,
Quaque is cuncta replet, gloriam, & vnicum
A dextris genitum assistere, & ecce ait
Fulgens limen olympi
Expansum video, ac Dei
Natum assistere dextra. at subito hi fremunt
Omnes dentibus, ac terribili sono
Vocis edito, & aure
Preclusa, furialiter

Magnoq́ impetu in eum vnanimes ruunt
Ac si agnam lupus, aut accipiter rapax
Inuadat volucrem. & mox
Extra vrbem eijciunt, dein
Turmatim iaciunt saxa in eum, & feris
Densorum lapidum, grandinis in modum
Quæ in corpus iuuenile cadebant,
Immissa, ictibus obruunt.
Hoc immane genus supplicij, hanc necem
Imperfracto animi robore pertulit
Vir sanctissimus, atque
Deflexis genibus, tenensq́
In cœlum faciem, fixaq́ lumina,
Hanc (dixit) animam suscipe tu Deus
Seruator meus, hisq́, hanc
Noxam ne (precor) imputes.
Hæc dicens, obijt lætior hac nece
Quàm olim vel Marius, vel Scipio, dabat
Quando his Roma triumphum,
Essent, atque beatior.
Sed te quis poterit carmine debito
Efferre? Aonides quæ satis, vt tua
Narrent inclyta gesta?
Quæ Phœbi cythara & fides?
Sunt, sunt Diue tuis omnia laudibus
Prorsus imparia. ergo mea hic sile
Clio, & grandia, quæq́
Vires exuperant, fuge.

In

In obitum Caroli V. Imp.

PLVS vltra semper dixisti Carole, donec
Venisti tandem quà nequis vlterius.
Ergo vbi te Antipodes, vbi totus nosceret orbis,
Et celebri fama iam super astra fores;
Hic mea sit (dixti) requies, hic meta laborum.
Si vlterius possem, non tamen ire velim.

In obitum Henrici secundi Galliarum Regis.

IAM tua Gradiuo par virtus. ille repletus
Inuidia, belli num Deus alter erit?
Hæc ait, & subito Lachesin, patremq; rogauit,
Ne sibi militiæ præriperetur honos.
Annuit optatis genitor. verum altera dixit,
Sera nimis tua sunt vota, nihilq; facis.
Nam Henrici virtus & bellica gloria, si non
Est maior, saltem par, similisq; tuæ.
Ergo licet Iouis imperio desistat ab armis,
Rerum gestarum fama perennis erit.

In mortem Eduardi VI. Regis Angliæ.

Hev quantus dolor est Anglis, heu quanta relicta
Materies luctus, dum tua fata videt.
Quis Regum tanta vnquã spe? cui tot bona Diuis
Tradita? sed quàm isthæc euanuere breui?
Hæc grauis omnino et magna est iactura Britãnis,
At nisi succurrant numina, maior erit.

In obitum Matthiæ Regis Hungariæ.

Qvi toties Turcam victor prostrauerat hostem,
Horribili tandem concidit ense necis.
Inclyta sed laus & tantarum gloria rerum
Quas gessit, nullo est interitura die.

In mortem Eduardi Curtnæi Angli.

Dvm Iuno & Pallas Regali ornare corona
CVRTNAEVM, & Regem constituisse parant;
Iuppiter haudquaquam assensus, mortalia dixit
Huius sunt meritis inferiora viri.

Ergo

Ergo illi cœlum pro terra demus, in omne
Æuum vt nobiscum regnet in arce poli.

In obitum Francisci Dauali Marchionis Pischariæ L. Ariostus:

QVIS *gelido iacet hic sub marmore? Maximus*
Piscator, belli gloria, pacis honor. (ille
Nunquid et hic pisces cœpit? Non. Ergo quid? Vr-
Magnanimos Reges, oppida, Regna, Duces. (bes,
Dic quibus hæc cœpit piscator retibus? alto
Consilio, intrepido corde, alacriq; manu.
Qui tantũ rapuere Ducem? Duo nomina. Mars,
Vt raperẽt, quis' nam cõpulit? Inuidia. (Mors.
Cui nocuere? sibi. viuit nam fama superstes
Quæ Martem ac mortem vincit et Inuidiam.

In obitum Iohannæ Semeræ Angliæ.

IMPATIENS *forma vinci, vultuq; Semæra,*
Sic humili est Lachesin ore precata Venus.
Si me aliquid censes pro te potuisse, uel olim
Posse, hæc vt viuat, ne patiare, rogo.
Illa statim assensa est precibus, filumq; puellæ
Abscidit. Fato sic cadit ante diem.
Crudelis Lachesis, crudelia fata Deorum.
Sed tamen hos vincit impietate Venus.

In obitum Margaretæ Bedfordienſis.

NVLLA *eſt Oceano, nulla eſt Tellure coruſcans*
Gemma, æque vt fueras ſplendida luce tua.
In te nobilitas; pulchriq; elegantia vultus,
Et faciles mores, ingeniumq; ſagax.
In te lucebant probitas, pietasq;, pudorq;
Coniugij, & prudens conſilium, atque fides.
Ergo vt ſplendebas cunctis virtutibus orbi,
Mortua ſic inter ſydera clara nites.

In obitum Lauræ Quirinæ.

VNA *fuit geminis facies, mens vna Quirinis;*
Et nihil excepto nomine diſpar erat.
Has prece Iunonis, partu fatalia ſcindens
Stamina, diſſecuit ex tribus vna ſoror.
Mox ſeipſam incuſans, conata eſt iungere rurſus
Quas modo diſiunxit, nec ſibi poſſe datum.
Tum ſubito laniat genas, laniata capillos,
Ah Iuno quàm (inquit) hanc periſſe doles.

In obitum Claræ Capellæ.

VT *primũ Clara extĩcta eſt, Venus (ĩquit) Amori,*
Quid tibi iam proſunt arcus, & arma puer?

Id verum cernens fregit sua tela Cupido,
Et stetit exanimis, ingemuitq́; dolens.
Mox tumulo accurrens, sese inclusisset in illum,
Ni Venus obstasset, cum prece, tumq́; minis.
Postquam aliud nequit, Assyrios diffundit odores,
Et varijs mæstam floribus ornat humum.

In obitum Vinciguerræ Collalti.

MORTE *tua luget Collaltum, luget Apollo,*
Pallas, Mercurius, Pieridesq́; sacræ.
Ipsa etiam Venus indoluit, pueroq́; pharetra
Deposita, madidas uidit in ore genas.

In obitum Nicolai à Turri.

MARTIS *alūnus eras, et Palladis. ille trophæa*
Ex hoste, hæc mentem, consiliumq́; dabat.
Ambo lanificas pro te ora uere sorores,
At frustra. Nulli parcere fata volunt.

In mortem Antonij Dennei.

DENNIVS *occubuit. sparsis plorate capillis*
Musæ, ac discissa veste vlulate diu.
Dennius occubuit. cytharam permutet Apollo,
Et mærens, tristi carmina voce canat.
Dennius occubuit. magno es viduata parente
Anglia,

Anglia, & idcirco iusta quærela tua est.
Dennius occubuit. periyt splendorq́;, decusq́;
Palladis, & fautor maximus ingeniy.
Dennius occubuit. periyt quem Henricus amauit
Ex animo, & laudans semper ad astra tulit.
Dennius occubuit. periyt fidissimus omni
Tempore dum vixit o Eduarde tibi.
Dennius occubuit. quis iam hoc moriēte, putabit
Se æternum, aut vnquam viuere posse diu?
Dennius occubuit. cur me nunc fata reseruant?
Quid moror hic, postquam Dennius occubuit?

In obitum Nicolai, & Andreæ Tremani.

Vt geminos nasci voluit natura Tremanos
Queis idem vultus, os, humeriq́; forent;
Sic dedit ingenium, mores, animumq́; per omne
Consimilem, & stabili mutua corda fide.
Idem velle fuit, fuit idem nolle. Quid vltra?
Corpora erant duo, sed spiritus vnus erat.
Ambo pro patria occubuere. Hic ense cruento
Hostibus in mediys dum ferit, intrepidus.
Alter, dum fratrem vlcisci cupit, ecce repente
Ignito globulo saucius interiyt.
Qui vnanimes igitur vixere, fuereq́; eodem
Vultu, æquum est vnus contegat ossa lapis.

Pro iisdem.

QVI *gemini fuerant & qui vno vultu, animoq́;,*
Pro patria extinctos nunc lapis vnus habet.

In mortem Ricardi Læi Angli.

CVM *nulla hic Læus firma, et secura uideret*
Mœnia mortali constabilita manu:
Experiar (dixit) num cœli mœnia firma
Sint magis. Ætherei mox petit astra poli.
Singula miratus vidit quam nullius esset
Ponderis humana quicquid ab arte venit.
Ergo ualete arces, portusq́; ac mœnia, tutum
Nunc mihi præsidium, nunc mihi firma salus.

In obitum Camilli Triuisani.

THREICIVS *vates cantu placauerat olim*
Inferni Regem, vt redderet Euridicen.
Dulcibus alloquijs poteras sic flectere Parcas,
Ni febri arsisset lingua Camille tibi.
Consultò id factum, ne quid loquerere, sed ecce
Nunc omnis de te sermo per ora virûm.

In Matris obitum.

DVM tibi vita fuit, Mater, lætissimus ipse
Viuebam, & viuo nil mihi triste fuit.
Dum moreris, tecum morior, tecumq; relinquo
Vitam, nec sine te dulce mihi est aliquid.
Quando erit illa dies, qua tandem hac mole soluta
Corporis, in cœlum mens mea perueniet?
Quando iterum viuas audire, ac reddere voces,
Et dabitur vita liberiore frui?
Sed quid ego interea? ferro'ne abrumpere vitam
Conabor viuens? dij meliora precor.
Quidnam igitur faciam? discã bene viuere viuus,
Vt bene quum moriar, mors mihi vita fiet.

Precatio ad Deum Patrem.

VT nauta æquoreis vndis agitatus, in astrum
Vnde sibi auxilium, lumina fixa tenet;
Sic ego dum varijs agor vndiq; fluctibus, atque
Huc illuc rapior vi rabieq; noti;
In te solum habeo spes omnes. Lumina fixa
In te. Tu solus anchora, uita; salus.
Ergo tuo auxilio tantis Deus alme procellis
Ereptus, portum da precor, ingrediar.
Ingressus, laudesq; tuas numenq; verendum
Perpetuo psallam uoce animoq; colam.

Precatio ad Filium.

NATE Deo, Deus ipse etiam de virgine pura

Factus homo, æterni viuida imago patris.
Illa eadem pietas quæ te commouit ab alto,
Nunc etiam moueat, & miserere precor.
Quisquis Iudaici populi intuebatur ahenum
Serpentem, ex omni vulnere sanus erat,
Quanto id cōmodius per te assequar, unde dabatur
Vis tanta, vnde salus, & medicina fuit?
Ille vmbra, & signum veri Chironis, & omnem
Tollentis plagam, lethiferumq; malum.
Tu solus Chiro es, tu solus vulnera curas,
Tu solus morbis languida membra leuas.
Deniq; tu solus vitæ reparator, & author,
Fonsq;, vnde emanat quicquid in orbe boni est.
Ergo adsis misero, atque ulcus, quo saucius æger
Hic iaceo, sana, propitiusq; veni.

Ad Spiritum Sanctum.

Vt noua cū Dominus fabricasset corpora mundi
Illa Dei fouit Spiritus igne suo;
Fæcundosq; dedit rebus nascentibus auctus,
Cuncta sua reddens plena vigoris ope;
Sic miseris duro solatia tempore præstes,
Sic foueas cætus Spiritus alme pios.
Te ponat querulos Ecclesia præside luctus,
Numine curarum mole soluta tuo.
Oppressaq; malis, fessaq; senilibus annis

Afflatu recrea languida membra tuo.
Discute sollicitos terrores, suffice vires,
Corda sinas cœcæ noctis habere nihil.
Adsit amans veri studium, probitasq́ᵹ, fidesq́ᵹ,
Æthereæ per quam sedis adimus iter.
Omnipotensq́ᵹ tuæ firmet nos halitus auræ,
Solamen cunctis, hoste furente, malis.
Erige tu pauidos, & opis cœlestis egentes,
Sicut auis plumis mollibus oua, tege.
Tu requies animi, tuus omnia temperat ardor,
Muneris est quicquid spirat vbique tui.
Tu moderaris opus triplicis mirabile mundi
Eternamq́ᵹ doces cuncta tenere fidem.
Aeris & liquidos tractus, cœliq́ᵹ meatus
Quicquid & in toto nascitur orbe, foues.
Vis tua præcipiti magnum vertigine cœlum
Non intermissis cursibus, ire facit.
Tu regis obliquo contra surgentia nixu,
Omnia quæ certis legibus astra micant.
Quæq́ᵹ suos peragunt clarissima lumina motus;
Te sine sol fixis, lunaq́ᵹ staret equis.
Vis tua felices viridanti gramine colles
Vestit, & innumeris floribus ornat humum.
Tu patulos mulces fœcundo flamine campos,
Vt grauibus onerent frugibus arua sinus.
Aspice sic miseros, sic consolare iacentes,
Rore salutifero Spiiritus alme iuua.
Pectora te flammis agitante beata calescant,

Sitq́ᵹ

Sitq; Deus, soli cui placuisse uelint.
Nec sacro auertant nos uerba minacia verbo.
Auxilio cedat mors quoque victa tuo.
Vt, fragilis summa cum luce reliquerit artus,
Viuat in æternæ Spiritus arce Domus.

QVORVNDAM EPIGRAMMATA,

In laudem Elisabethæ Serenissimæ Angliæ Reginæ.

Benedictus Manzolius Mutinensis.

IAM *Venus ad flauos diuertit blanda Britannos*
Virginea vt firmet sceptra recepta manu.
Atque ibi Reginæ struit haud steriles Hymenæos,
Assidua gentis sollicitata prece.
Interea emeriti, quibus, est Dea vecta, beatum
Dāt Cycni ad Thamesim gutture dulce melos.
Euehitur cantu ad Cœlum Regina per auras,
Et resonat liquidis Elisabetha vadis.
Quid uobis Cycni felicius, ætheriam qui
Pennis, mortalem tollitis ore Deam?

V *Alexander*

Alexander Rocius Chius.

NON tibi ſorte datum terra regnare Britanna
Nec fortuna ſuo detulit arbitrio.
Conſilio aſt Diuûm (virtus ne tanta lateret)
Dijs ſoror aſcita eſt, tuaq; ſua ſceptra tenes.

Cæſar vrbinas.

SI formam Regina tuam quis ſpectet, olympo
Iurabit Paphiam deſiluiſſe Deam:
Perluſtret miras animo ſi pectoris arteis,
Te ducet Diuûm Pallada Rege ſatam:
Si vero inceſſum aſpiciat, numenq́; verendum,
Non Iouis eſt, dicet, dignior vlla thoro.
Hinc te diuino dignantur honore Britanni,
Et ponunt iuſſis aſpera corda tuis.

Paulus Thauſignanus.

NVNC geminæ Veneres, muſæ bis quinq;, Dianæ
Sunt geminæ, pulchræ quatuor & Carites.
Aurea nam terris Venus eſt Iſabetha Britanna,
Muſa, Diana nitens, & ſine labe Caris.

Paulus Vrsulinus.

EGREGIAS Regina tuas si carmine dotes
Complecti studeam, carmina nulla satis:
Nam prius immensi fulgentia sydera cœli,
Et ualeam fluctus enumerare maris.
Quippe animi excelsi claris uirtutibus omnes
Romanas uincis, Cæcropiasq; Nurus.
Singula ne referam, cœlo delapsa uideris,
Esses ut uitæ maxima norma piæ.
Accipe nunc igitur studio commissa tuorum
Sceptra tibi, & populos dirige rite tuos.

Camillus Melchior Mutinensis 13. annorum adolescens.

Quas partes tenet orbis nũc Venus, atq; Minerua?
An ne illas, ubi Phœbus nondum euectus ab undis
Crines Auroram roseos emittit amictam? (undis
An nitidis ubi sol raptim delapsus ab astris
In diuæ amplexum decurrit Thetidos almum?
An celsas ubi stringens ripas, atque tumentes
Torquens flexus & stipata flauus arena,
Ingentes uoluit lapides celeberrimus Ister,
Durosq; exit linquens pleno flumine montes,
Qui illum prærupti undiq; cingũt atq; coronant?

Atque ubi semper spirat luctans frigora uentus,
Et glaciem in densam torrentia flumina uertit,
Quamq; times Æthō spargens è faucibus ignem,
Nunquam illò uoluit radiantem uertere currum?
An tenet illas sedes, quas niger incolit Afer?,
Ac ubi terra sitim quærit restinguere riuo,
Ve læto sua pinguia compleat ubera Baccho,
Cum longe flagrantibus ardeat arida flammis,
Atque cauis gens fessa reponit membra latebris,
Perpetuoq; uiget radijs ardentibus æstas?
Ingremium Elisabethæ, quod virtus colit omnis,
Unà migrarunt, & ubi iacet almus Apollo,
Et quò linquentes Parnasum iuere Camenæ.

Iulius de Rubeis.

QUAM referunt prodisse Iouis de uertice summo
  Dum fleret sterilis coniugis opprobrium;
Pallada Tritoniam nuper meruere Britanni,
  Quam sibi sat uigilem constituere Ducem.
Pierio Elisabetha choro noua digna minerua
  Quam sic certatim carmine ad astra ferunt.
Hæc sic consilio, sic rerum præualet usu.
  Sic dulci eloquio, sic pietate uiget,
Quòd nos palladijs cingentes compita lustris
  Possumus accinere hic, quod breue carmen ha-
Altera Tritonia est penes Elisabetha Britānos (bet
  Quam superi obseruent concelebrentq; uiri.

Hæc

Hæc eſt cui certent uitulas feciſſe minores,
Hæc eſt, cui ſtatuent pegmata, templa, focos.
Hæc eſt una ſenis uiuat quæ Neſtoris annos,
Et uiuat felix ſæcula Amadriadum.

Incerto Authore.

COELESTIS *planta eſt cui dat Clemẽtia nomẽ.*
Huius radices æthera uerſus eunt.
Humano cultu non indiget alma propago
Ut quæ diuino culta ſit ingenio.
Nec licet hanc ferro tangi duroq́ metallo,
Siue auro, cum ſit aureus ipſe color.
Hanc homines tamen ut merito venerẽtur honore,
Huc læti aſportent munera ſacra Deûm.
Scilicet hic ebur, hic cedrus, viridisq́ cupreſſus
Adſit, odore ſuo quicquid & Indus habet.
His plantam triplex rerum natura coronat
Quæ uiuunt, vegetant & fodiuntur humo.
Lazule terrenis qui miſces cœlica dona,
Fer regale decus tegmine cœruleo.
His decet ætherea famulentur ut omnia plantæ
Quicquid terra tenet, quicquid & orbis habet.
Ergo ne plantæ pereat tam ſacra propago,
Fac populo ſcindi ſurculus inde queat.

Incerto

Incerto Authore.

IAM *fuluos Regina potes frenare leones,*
Et potes auricomas subdere Hamadriadas.
Nam tibi plena rosis referunt pro merce canistra,
Punicaq; idæis mala refixa iugis.
Quin etiam referunt extremis lilia terris,
Lilia virgineis iure adhibenda comis.
Nec minus Aonides, quamuis pia numina surgant
Semper in aduersos difficilesq; modos;
Nunc tamẽ & numeris, & eburno pectine cedunt,
Et tibi perpetuo murmure colla dabunt.
Ergo quid o sacris musarum Pegase ludis
Attollis fastu Bellerophontis, equos?
Non ne tuis immista Deis Regina Britannos
Commouet, & sceptrum laudibus accumulat?
Hinc quicunque pias manifesto in lumine tædas
Præferet, Eois fulget & ipse choris,
Ac blandos cultus, blandos sectatus amores,
Edita seruabit carmina temporibus.
Tum subito Arcturus rabida det rusus ab vrsa,
Atque Hyades mæstæ lumina destituent.
Sol quoque nequicquam roseas agitare quadrigas
Tentabit curuo tramite ab axe poli.
Quod si forte suas violarint numina leges,
Nimirum æthereo vertice signa ferent.
Sic mare, sic terras, sic ipsa Britannia cœlum

Vincet

Vincet, & aquabit gaudia ſyderibus.
Tu vero accipias tandem Regina triumphos,
Et rege felici ſceptra paterna manu.
Hinc omnis populus dudum miratus honores
Dicet, Io virgo, candida virgo regas.

ERRATA CORRIGENDA.


Pag. 2. num. 28. incommodis, commodis. 117. pag. 2. quæ Dianam commitantur, quæ Diuam. 126. pag. 2. Bellerophonte, Bellerophonta. 127. pag. 1. in urb, urbem, null, nulla. 138. pag. 2. & ſpinoſus, aculeos, & ſpinoſa, nocentia. 113. pag. 1. mintaur, minatur. 134. pag. 2. Baſſiadona, Baſſadona. 150. pag. 1. nequid, nequit. 149. pag. 1. Angliæ. Angla.

Græcum epigramma ſic corrigito. 3. uerſu.
Ἧ γὰρ δὴ νήσοις ἐν ἁλιςεφέεσι βρεταννὶς
Ἱμερτὶ, mutetur in Ἱμερτὴ. in quinto uerſu αὔπὴν, αὐτὴν, in octauo πάσεσι, πάσαισιν. in decimo, μίτρην, mutetur (ſi placeat) in, σκῆπτρον.

F I N I S.

IOANNIS CAESARII CONSENTINI

ORATIONVM ET POEMATVM LIBER SECVNDVS.



ROMAE.

Ex Officina Vincentii Lucchini.

MDLXV.

IO. CAESARIVS

Iulio Mancio Pophano, S. D.

CVM abhinc multos annos te familiariter norim, & ingenium tuum bonis artibus deditũ semper sim admiratus nedum laudauerim, vt aliquod meæ in te beneuolentiæ argumentum extet, volui hasce duas orationes nondum editas ad te mittere, eo consilio, vt in tuo nomine primum appareant, & ex iis facile cognoscas, quantum ego suscipiam laborem, vt in scribendo magis ac magis proficiã, tum vt mihi ipsi satisfaciam, tum vt illis prosim iuuenibus, qui mea scripta libenti animo percurrunt. Deus testis est Iuli Ornatissime quantum publicæ vtilitati studere cupiam, Sed perditi mores hominum, qui mihi gloriolam summo labore partã inuident, & maleuolentia suffusi me sunt acriter insectati, faciunt, vt posthac aliud inire consilium & intra paucos annos in patriam reuerti constituam, qua per triginta fere annos carui, non sine maximo animi dolore, Sed quocumq; me fata trahent, numquam potero tui obliuisci, qui tua doctrina tuæq; vitæ integritate, ita mihi hæres in visceribus, vt te loco fratris Germani habeam. Vale.

IO. CAESARII

λόγος παραινετικὸς.



ORTALES eo Dei cõſilio nati ſunt, vt, dum in terris vitam agunt, non pigritiæ ſe dedant, ſed conſtanter ſecundum officij & honeſtatis legem viuentes laborem pro virium facultate ſuſcipiant. & vel corpus vel animum in re aliqua laudabili frequenter exerceant. Sic enim virtus, quam pie ſancteq; optimus quisq; colere ſtudet, ſuo loco non defraudatur, Artes, quæ quidem variæ ſunt inuentæ pro varijs reipublicæ commodis, vigent, hominum ſocietas, quæ naturæ impulſu eſt inſtituta, ſine labe conſeruatur, & beneficia, quæ dari & accipi vltro citroq; debent, numquam ſane deficiunt. Præterea qui non dat ſe turpi otio corrũpendum, nec ſinit ſe blandis voluptatibus irretiri, quarum cupiditatem gignit inertia, crebro ad cælum oculos erigit, diuina contemplatur, in officij religione ſe continet, & hæc humana deſpiciens, quæ tamquam folia certis temporibus

arescunt, in tuto consistit, vt e vita migrans ad cæleste domicilium euolet, vbi sempiterna inter Diuos felicitate perfruatur. Hæc omnia mecum animo cogitans, quamuis ætatem meam iam ingrauescere sentiam, & quietem exoptare sine vitio possem, tamen vt mihi constare videar, & per eandem semitam numquam pedem referens pergã cursum conficere, quod reliquum est vitæ, in hoc studiorum & laborum genere præsenti animo traducam, & illos, qui me audient, effusis viribus quantulæcumq; a natura mihi datæ & artis accessione adauctæ sunt enitar adiuuare, nihil .n. magis vna omniũ uoce laudatur, nihil est quod sapientibus & ipsi Deo, qui cunctarum rerũ est arbiter, magis acceptum esse possit, quam in hanc rem omne studium omnemq; operam conferre, vt ij, qui nobis confidunt nostroq; indigent auxilio, se nostra solertia sentiant subleuatos & præclaris muneribus affectos, quod autem præclarius quod præstabilius excogitari munus possit, quam litterarum cognitio, equidem non inuenio. Proinde vt vobis currentibus adhibeam calcaria, huc enim omnis meus pertinebit sermo, sinite me de hac cognitione studiose comparanda breuiter aliquid dicere, et quid præcipue nobis obsit, ne bonum tam præclarum consequamur, paucis comprehendere, nam quæ ad singulas litterarum laudes attinent, multis orationibus a me publice habitis et abhinc triẽnium editis perstrinxi, ad illas vos reijcio, nunc

alia quædam leuiter attingam, aduertite quæso animos. Doctrina facit Auditores, ut homines, qui naturæ instinctu perfectionem desiderant, uere perficiantur, ac tantum fere sint imperitis præferendi, quantum ueri homines (ut aiunt) picturis ceterisq; simulacris, litterarũ rudes et ignari tantum sciunt, quantum simplex edocet natura, quæ nisi magistra limetur arte atque absoluatur, multis in rebus profecto rudis uel manca & mutila cognoscitur. Cogitate præteriti temporis spatiũ & quæ olim laudabiliter acta sunt in memoriam redigite, sic facile intelligetis, quam uberes quã iucundi ex Doctrina fructus percipiantur. Hæc omnem uitam instituit, omnes disponit actiones, uerus enim animi corporisq; cultus ignoratur humanarum diuinarumq; rerum inscitia, siqua nos urget necessitas, si quid periculi procreatur, cum rationes & exempla non subeunt, quæ in uetustis leguntur monumentis, certum iniri consilium non potest, Mens huc & illuc uagatur, nec umquam requiescit: seu publice seu priuatim quippiam sit agendum, nihil umquam præclari fiet, nisi ab ijs, qui iam inde a pueritia, uel multa didicerũt uel longo rerũ usu multa sunt periclitati. Sed si quæ docet experientia temporum progressu, breui sciri poterunt doctorum uirorum scripta percurrendo, nonne dementis est, hanc rei bene gerendæ occasionem non arripere? Omnes fere illi Quirites,

qui rerum gestarum gloria sunt immortalitatē adepti, præter alia vitæ ornamenta, litterarum studijs floruerunt, & quæ ab antiquissimis auctoribus didicere, ex umbraculis ad solem veniētes exequi conati sunt, nec simplicis fuerunt naturæ viribus confisi. Scipio, Lucullus, Sylla, Cæsar, Pompeius, & alij, quos multum veteres commendarunt, & Posteritas admirata est, abineunte ætate se præceptoribus informādos dederunt, vt Chironi Achilles, ac per spinosam & difficilem virtutis viam iter habentes eo demum peruenere, vbi exoptatas fruges colligerent, & quæ per totum vitæ curriculum necessaria forent nō sine prudentiæ laude sibi cōseruarent. accesserūt postea ad remp. ita consilijs muniti, ita occultis armis instructi, vt quidquid aggrederentur, maxima cum nominis celebritate perficerent, rerum causas & progressus non ignorabant, & cuncta tamquam diuinitatis participes intelligebant. vnde hoc? ex multiplici rerum notitia, quam Doctoribus operam dando, Priscorum scripta diligenter euoluendo, et quæ vsui esse possent memoriæ mandando sunt cōsecuti, prauis affectibus modum adhibebant, ad veram laudem virtutis via grassabantur, & hæc infirma & titubantia, quæ sic ardenter imperita multitudo persequitur, firma & stabilia quærentes contemnebant. Nonne accepistis nonnullos etiam apud Græcos extitisse, qui licet multis essent aucti

a fortu-

a fortuna muneribus & diuitijs affluerent, quidquid fuerat a parentibus abunde relictum respuerunt, ac tamquam res, quae animo sublimia petenti uehementer obstarent, abiecerunt, & disciplinae perdiscendae desiderio varios locorũ situs perlustrarunt variaque hominum ingenia sunt experti, vt vere diuites et opulenti domum suã aliquot post annis reuerterentur, illos enim vere diuites et opulentos appello, qui bona Doctrinae immortalia sunt aßecuti, bona inquam, quae neq; incendium neq; naufragium extimescunt, quae Tyranni virtutis hostes auferre numquam poßunt, quae Biantem se in fugam conijcientem sunt fideliter secuta, quae Aristippum a fluctibus in desertum litus eiectum & denudatum conseruarunt & induerunt: nolo tamen hoc a me dictum existimetis, vt quae nobis nostraeq; familiae sunt necessaria quaeri non debeant, nam sine controuersia paranda sunt ea, quae vitae vsus postulat, nec sperandum est nos uirgula (vt aiunt) diuina esse victuros, certoq; scio extremam paupertatem onus eße grauissimũ, quae multos coegit rem honeste inchoatam relinquere, & ab itinere, quod cum laude haberi coeperat, multos reuocauit, sed in illos conuitia congero, in illos acerbitatis virus euomo, qui quamuis tantum a parentibus acceperint, aut ipsi suis laboribus acquisierint, quantum vitae commode traducendae sufficiat, tamẽ semper inhiant, semper

huc & illuc spectant, vt aliquid abradendi facultas offeratur, diripiunt, prædantur, fœnerãtur dolos & fraudes machinantur, vt magnam in arcis pecuniam contemplantes sibi ipsis plaudant, primæq; classis ciues appellentur, de claris autem ingenuisq; artibus nihil cogitant, vt nõ homines ad cælum suspiciendũ erecti, sed immundi sues ad terrã proni videantur. Fatui mortales et mentis inopes illa magno cũ animi ardore, dum nullũ vitæ periculum detrectant, appetere solent, quæ nos reddũt deteriores, rationis et decori prorsus immemores, quæ nos ab humana cogunt natura desciscere, & in ferinam conuertunt, & a sapientiæ studijs, quibus nihil debet esse optabilius abducunt. Quæ sunt hæc Auditores? perniciosa diuitiarum cupiditas & uanus ardor uoluptatum. Animi rerum terrestrium nimio plus cupidi, prauis perditisq; affectionibus deuinciuntur, fluxa tantum & caduca sibi proponunt, uariisque sceleribus astricti ac tamquam compedibus deuincti, quid sit uera libertas, qua nihil antiquius, prorsus ignorant. Non est cur dubitemus: Si homines maiori ex parte rerum mediocritate contenti uiuerent, & in excolendis animis occuparentur, pauca quidem scelera possent perpetrari, pauciq; admodum existerent, qui sui cursus immemores a recta semita deflecterent, Sed illa pestis exitiosa, quæ totum genus humanum crudeliter inuasit causa est, ut di

sciplinarum

sciplinarum studia frigeant, & quidquid est eruditionis & probitatis paruipendatur, cogitant noctes atque dies miseri Mortales, fractis verecundiæ postibus, fractisq; legibus, quibus deberent cupiditates coerceri, quo pacto maiores congerantur diuitiæ, quæ una diecula forte amittentur, ædificia marmoribus constructa exurgant, quæ uel terræ motu uel ui uentorum uel temporis diuturnitate prosternẽtur, pretiosæ cõparentur vestes quæ uel tineis uel usu paulatim absumentur, & Stipatores undiq; assistant, qui ære corrupti suos heros plerumq; confoderunt: Hisce rebus isti Procustæ Autolyci Titanesq; se macerant excruciant & torquent miserabiliter, ut nemo ex ciuibus maiora possidere existimetur, Sic enim se maximis auctos honoribus & summam adeptos felicitatem arbitrantur, nec uident isti, qui tragico sunt Oreste uel Athamante dementiores, ex hac diuitiarum vbertate (ut alia malorum genera prætercam, quæ longum eßet enumerare) immoderatam indomitam & effrenatam uoluptatum cupiditatem oriri, quæ nos mente captos diuerse trahit, & prius quã ea consequamur, quæ more ferarũ concupiscimus, intestino dolore nos diuellit & quiescere numquã finit; hæc est illa furia, quæ facibus ardentissimis nos insectatur, quæ omnem animo uim aufert, ut quid sit honestum et officio consentaneũ intueri nequeamus, quæ huc & illuc rapit ac tandem ex alto præ-

to præcipitat, resurgendi modus nunquam detur nisi Deus respexerit. Quid prudentiæ quid consilij habet nimius uoluptatis amator? rem familiarem summo labore partam temere profundit, auctoritatem, quam antea fortaße collegerat, amittit, multorum odia sibi concitat, nam dum suæ cupit intemperantiæ morigerari, multis est iniurius, ab omni Virtutis genere seiunctus, delicijs tantum fruitur, & massici uini dubiæq; cænæ studiosus, a nefando etiam concubitu non abstinet; hæc est illa Furia, quæ genus humanum peßundat, in uarias scelerum species impellit, bonas artes subuertit, ingenij aciem obtundit, quæ Sapientiæ fertur aduersaria, stultitiæ comes, mater calamitatum, parens ægritudinum, altrix dissidiorum, quæ bellorum excitauit incendia, quæ res publicas labefactauit, quæ populorum animos distraxit, quæ urbes atque Oppida solo æquauit. Quis unquam uoluptariæ vitæ studiosus potuit aliquid efficere, quod bonorum consensu probaretur & feliciter caderet. Quo Sybaritæ abierunt? Quo Sardanapalus? Epicuri Aristippi & aliorum eiusdem ordinis philosophorum sententiæ in quo sunt habitæ honore a Sapientibus.? O Virtus quãdo locus tibi dari potuisset? nisi naturæ quadam prouidentia illi extitißēt; qui hæc Fortunæ munera tamquam ludibria neglexerunt, & uoluptates tamquam teterrima mala fugientes, se totos doctrinis comparandis tradiderunt,

derunt, & illa nullo grauati pondere sunt perscru tati, quæ poßunt animos bonis immortalibus locupletare, communi hominum societati conducere, & spem futuræ immortalitatis afferre. Qui enim potuere umquam in posterum prælucere, nisi qui hanc rerum uanitatem contempsere et laborum pa tientissimi fuerunt? Sapiens est appellatus Vlyßes qui casus & ærumnas patienter tulit, ut sociorum vitæ consuleret & incolumis in patriam reuerteretur. Hercules, ut est in fabulis, inquibus pulchra latet ueritas, donec superfluentes diuitias, turpem uoluptatem & ignauam desidiam despexit, multa monstra perdomuit, sua laboriosa & operosa uirtu te Tyrannos uicit, hominesq; in seruitutem abreptos in ueterem libertatem uindicauit; Cyrus noluit in otio degere & in uiuendi tranqullitate permanere, sed laborum, frigoris, & æstus tolerantia populos subegit, & qui sibi aduersarentur, diurna nocturnaq; solicitudine, bello etiam uanis uoluptatibus indicto superauit. Veteres illi philosophi, qui pluris litterarum cognitionem faciebant, quam quidquid auri in Pangæo Thraciæ monte olim effo diebatur, omni contentione naturam cohibebant, toti erant in Virtute colenda, in hac se diligenter exercebant, in hac omnem operam ponebant, in acquirenda huius laude certatim contendebant, & quæ vulgus fractum & abiectum habens animum perquirit, tamquam inania futilia fortunæ

teme-

temeritati subiecta & quæ repente præteruolant, aspernabantur, non ex his ueram nobilitatẽ non ex his ueram esse gloriam ducebant, sed mediocri aut parua sorte contenti solam amplexabantur sapientiam, hanc tamquam fidissimam ducem sequebantur, in hanc oculos conijciebant, huius amore exardescentes deorum similes facti sunt. Proinde cum rationes & exempla ante oculos habeatis ornatissimi Auditores, non est cur illos imitemini, qui animam per sale habens, & dum corpori tantum student, sensim tabescunt & inglorij moriuntur. Illos potius decet æmulari, qui cum noctes atq; dies unumquenq; laborem pro uirtute susceperint, ad sempiternam gloriam aspirarunt, totum animum totamq; mentem ad litteras appellite, in quibus tot bonorum genera consistunt, quot persequi non possem, uel si multum temporis in dicendo consumerem. Qui enim litteris dant operam e luto se attollunt, in quo plerunq; imperiti uolutantur, & modo uelint sapientum consilijs parere, humana, tamquam res lubricas & cita perituras, non magni faciunt, tantum sibi suisq; comparare student, quantum industria honestisq; laboribus pro necessitate acquiri potest, uoluptatibus, quæ non secus ac blandæ meretrices nos decipiunt, se illaqueari non patiuntur, Si quid aduersi contingit, non franguntur, sed integris uiribus fortunæ aduersanti resistunt, si quid

vero

uero iucundi, ita se moderate ac temperate habēt, ut nimia lætitia non exultent, nimioq; gaudio non triumphent. Quid igitur expectandum est? erigite animos, caliginem excutite, laborem, sine quo nil magnum fieri poteſt, perferte. & consilia, in quibus nihil est fuci, accipite. Iam incepistis currere stadium, pergite, omni festinatione properate, hoc uobis peragendum proposuistis, in sententia persistite, in uestro munere diligēter obeundo perseuerate, Thebani tibiarum curam suscipiebāt, & sibi constabant; Cretenses uenationem iaculando & currendo exercebant, & hanc potissimum curabant; Theſsali equitādi laude delectabantur, & nil magis meditari solebant. Cyrenaici frequēter agitabant currus, & ita se suum exequi munus putabant, Thraces in scutis bene utendis operā consumebant, Athenienses eloquentiā, qua nihil præstabilius, excolebant, ita ut unusquisq; populus suo teneretur studio, & eo numquā defatigaretur. Vos etiam quod suscepistis perficite, quæ sunt uobis impedimento repellite. Ite fortes quo uos aurea uocat virtus, nulloq; timore perculsi ascēdite ad excelsum culmen ueri honoris, per ardua loca iter ingrediemini, per dumeta & uiarum asperitates, sed, modo ut cœpistis progrediamini, cunctas sine dubio superabitis difficultates, & postremo in uiridem & usq; quaq; florentem campum peruenietis, vbi sub fructuosis arboribus, quæ nunquam

suis

suis spoliantur frondibus, perpetua frui quiete poteritis. Ego tamquam Dux fidissimus nunquam de esse uidebor & pericula, quæ intendi poterunt, e specula prospiciam, ac tutum securumq; iter uobis ostendam. Reliquum est, ut uobis significem, perendie me annui laboris initium facturum esse, Chisto approbante, ab Oratione Ciceronis Pro Archia Poeta. Vos ut soletis frequentate Gymnasium. Dixi.

IO. CAESARI ORATIO De Laudibus Rhetoricæ, Solutæq; orationis.

ET si varia Scriptorum genera sint a Maioribus nostris Posteritati relicta, ex quibus fere omnibus aliquid boni posse proficisci nihil est dubitandũ, magnus tamen ornatissimi Auditores habendus est a solerti Doctore delectus, ne si qualiacumq; sunt scripta velit imprudenter interpretari, potius obesse quam prodesse videatur; siquidem in publico Gymnasio ea potissimum exponi debent, quæ recte vitam instituant, quæ puras & ab omni vitio remotas doceant litteras & reip. magis ac magis expediant. Præterea probe nostis, Adolescentes in lubrico versari & ita facile per decliuia labi & interdum præcipites agi, vt fideliter per certam semitã sint a Doctoribus tamquam

quam a fidis custodibus deducẽdi, ne si ceciderint exurgere postea non possint sine maxima difficultate. Quorsum hæc? ea quæ primum in animis imprimuntur per totum vitæ curriculum durare solent, vt si mala fuerint, sine maximo negotio non possint aboleri. Ego qui per multos annos (vt plerique testantur) publici Doctoris officio sum functus, certũ huiusce rei feci periculum, nunc enim poesim nunc solutam orationẽ sum interpretatus. Sed vt pugnem pro veritate, qua nihil antiquius, quãuis quorundam Poetarũ carmina varia rerum cognitione referta admodũ vtilia esse auditoribus cognouerim, Ciceronis tamen monumenta, et probitatis & doctrinæ comparandæ gratia, esse illa intelligo, quæ cunctis Poetarũ scriptis iure quidem optimo sint a nobis præferenda, sentiant quicquid velint alij, equidem nihil impediam, mihi integrum est dicere quod melius & hominum societate cõmodius videtur. Et hoc non eo consilio proferre audeo, quod de Ciceronis laudibus, quæ sunt longe lateq; peruagatæ, sim hodie verba facturus, non enim præclarissimus ille auctor mea indiget commendatione, nam sic est a Scriptoribus etiam antiquissimis commendatus, vt superuacaneum fere sit illum nostra tempestate satis commendare, quis enim (vt aiunt) Herculem vituperat? Huc hodie me contuli eo sane animo, ut artis Rhetoricæ solutæq; orationis quæ suo constat ornatu, partes

suscipiam

suscipiam, ac de communi utilitate quæ quidem ex ea proficiscitur aliquid dicam. vos Ornatissimi auditores præbete aures, & nolite existimare, quod artificiosam Orationem pluribus efferam laudibus, me poesim despicere & aspernari, nam quantum ipse pro exiguis Ingenij uiribus iam inde a pueritia me in scribendis carminibus exercuerim, sunt hic etiam complures locupletissimi testes, pro certo tamē habeo remp. magis ab Oratore quā a Poeta posse adiuuari, artiq; dicendi ab unoquoque litterarum studioso dandam esse operam pluribus de causis, cur enim ueritas elucere non debeat equidem non uideo, præbete aures & attendite. Si quis cuncta uoluerit considerare, quibus res ipsæ magnifieri solent ab hominibus, nihil sane reperiet, quod artificiosæ orationi non conueniat. Vt ab honesto initium faciam, quid honestius & laudabilius esse potest, quam ea re, qua ceteris præstamus animantibus, posse longe alijs hominibus excellere. Cum enim Virū eloquentē audimus, qui potest sua dicendi vi animis imperare, ut quo uult rapiat, illū tanquā diuinitatis participem suspicimus, & non iniuria ceteris anteponendum arbitramur. quid maius homini esse potest quam ingenium habere bonis artibus excultum, & animi cogitata posse eleganter & lepide proferre, non sine audientium admiratione? Cum Demosthenes, Cicero, alijq; Græci et latini oratores ad suggestum

ad suggestum ascendebant & concionari incipiebant, quantus erat populi fremitus, quantus Ciuium concursus, ita ut omnes ab illorum ore penderent, perinde quasi e cælo descendißent, ac diuinitus non humanitus loquerentur; Si quis uero de utili meminerit, nullus dubitationi locus relinquetur, nonne multi miserabili egestate laborantes sermonis suauitate a Principibus gratiam iniuere, & opulentissimi facti sunt? quid utilius quam posse animos hominum inflectere quocumq; uolueris, ut quæ humilia sunt in altum efferas, & quæ sublimia ad imum deijcias? Vnde non iniuria dixit Aristides Rhetoricen tanquam singulare munus a Ioue fuiße Mortalibus datam, nec omnibus, sed ijs, qui maiori pollerent ingenio. Quis adeo uecors erit & obstinatus ueritati repugnabit, quin aperte fateatur, dicendi artem non solum oratoribus eße neceßariam, uerum etiam cunctis bonarum artium studiosis, modo uelint aliquid litteris mandare, quod sit uno omnium consensu probandum & a Posteris communi plausu excipiendum. Quanto usi sunt inscribendis legibus artificio Veteres iurisconsulti? quantam concinnitatis rationem habuerunt? vt nihil improprie nihil absurde dictum uideatur. lepores enim, partium collocationem, ipsumq; ordinem, sine quo nihil pulchri fieri potest, sunt accurate meditati. O si nostris tẽ-

B poribus

poribus integra iurisconsultorum uolumina legerentur, quantum uoluptatis præter utilitatem caperemus ex luculentissimis illorum monumentis, in quibus uaria dicendi ornamenta splendescerent. Quid de Philosophis? putabit fortasse quispiã Platonem & Aristotelem, vt hos tantum nominem tanquam Principes philosophorum, ita fuiße (ut in commune consulerent) de rebus difficillimis locutos, ut hæc dicendi præcepta contempserint Si quis temere sibi hoc persuaserit, in tenebris sine dubio versabitur, & verum a falso distinguere tamquam mente captus ignorabit, nam si diligenter aduertet, nihil est a Platone & Aristotele perscriptum, quod non magno constet artificio, mirabilis in Principe Academicorum copia cognoscitur, in quo sunt omnia luminosa, in quo sunt omnia sic apte collocata, vt extrema cum primis cohæreant, verborumq; concinnitas suum conficiat orbem, & in quo maxima decori obseruandi ratio videtur, cum personas facit loquentes. De illo qui sectam instituit peripateticam non est cur dubitemus, vnusquisque enim facile intelligit quantos habeat neruos, & quantam vim in refutandis antiquorum sententijs, suisq; confirmãdis rationibus. Quis opus illud Rhetoricorũ ad Theodectem non summopere admirabitur? Equidem si de antiquis Theologis abunde meminisse velim, longum

longum ſane foret eorum laudes, quippe quas in ſcribendo meruerunt, verbis comprehendere. nam veteres illi Græci, qui de rebus ſacris locuti ſunt ita diſerti ita periti Rhetorices fuerunt, vt inter alia, quæ flagranti ſtudio didicere, hanc etiã ſemper in oculis tulerint et prudenter obſeruarint. iudicarunt enim veritatem ſæpe multitudini perſuaderi non poſſe, niſi artificioſe proferatur, percurrite quæſo Gregorij Nazanzeni orationes, quibus res grauiſſimæ ad religionem ſpectantes continentur, præter ſententiarum grauitatem, quos inuenietis numeros, quos verborum ſplendores? nihil nõ uſurpatũ nauiter, nihil non Oratorijs depictum coloribus, inuenietis. De Baſilio quid dicam? præter alia ſane innumerabilia quæ profitebatur, nemo eſt, qui neſciat, modo aliquem in litteris progreßum fecerit, quantos in comparanda dicendi facultate labores ille ſuſceperit. Venit in mentem Chryſoſtomus. Equidem ſi pro dignitate loqui velim, oporteret aureum os habere, vnde ille nomẽ accepit, res etiam ita peruulgata eſt & omnibus comperta, vt mea non indigeat prædicatione. Cum illius orationes perlego mihi per florentia prata vagari videor, vt quos primum carpere flores debeam, ſim animi dubius, magna eſt ſanctiſſimo viro loquendi vbertas, magna varietas cum elegantia ſane incredibili. Obijcient nonnulli Poe-

tas. Nonne Homerus & Virgilius duo Poetarum lumina pangendis carminibus hæc quoq; oratoria præcepta magnopere neceßaria esse iudicarunt? Non me fugit Quintilianum præstantissimi oratoris laudem Homero tribuiße, legi etiam Macrobiũ auctorem nõ contemnendum in dubium reuocaße, vter in dicendo Cicero an Virgilius præstantior extiterit, si breuitati non consulerem & iure meo poßem per campi æquora licenter excurrere, profecto multa de hac re differere possem, quibus unũ quemque in hanc mentem facile impellerem, vt crederet, Poetam hac arte, pro qua pugnaciter contendo magis indigere, quã Oratorem poetica. Sed uestra fretus attentione & benignitate aliquã to ulterius progrediar & siqua reliqua sunt, quæ obijci merito possint, libenti animo percurram, ne quid forte relinquatur, quod scrupulum uobis inijciat, adhibete quæso animos & attentis auribus audite. Sunt qui Poesim solutæ orationi præferendam esse censeant ob antiquitatem, Testatur enim Aristoteles quæ sunt antiquiora eße magis honorabilia, docetq; Poetas hac de causa commentos olim fuisse, Deos per Stygiam Paludem iurare, per quam (ut ille ait) aquam intelligebant, Hoc enim elemento nihil antiquius Thales milesius existimabat. aiunt illi Poetas multo ante quã oratores extitisse, quod nemo poterit inficiari, & hinc maiori dignos

dignos esse honore. loquuntur de Orpheo Lino Thamyra Homero & Hesiodo, qui sine controuersia sunt oratoribus antiquiores; Hæc tamen ratio mihi non persuadebit, maiorem esse Poetis honorem quam oratoribus habendum. multa enim subsecuta sunt, quæ longo post se interuallo Priora reliquerunt, sumatur exẽplum a Poesi. Poetæ qui ante Homerũ & Hesiodum floruere, nõne sunt ita ab hisce duobus obscurati, vt nihil fere ex illorum scriptis nostra tempestate legatur. Quid de oratoribus? Cato & alij qui ante Ciceronem concionãdo famæ celebritatem sunt consecuti, nonne ita postea sunt a Cicerone superati, vt nomen dumtaxat eorum sit nobis reliquum, & quæcumq; sunt ab ijs consignata litteris pene prorsus interierint. Ex his igitur colligimus non semper antiquitatem posse in rebus principatũ obtinere, propterea quod si quid a recentioribus inuenitur, quod reip. prodesse magis possit, quod est antiquius haud dubie recedit: Etenim si quot vitæ cõmoda ex pluribus recentiorum inuentis proficiscantur persequi velim, sane nimius forem. perlustrate animo quæcumq; a mortalibus pro communi commoditate magnifice & honeste fieri possunt, nihil quidem certe poteritis inuenire, quod hoc adiumento non indigeat, vel publicam vel priuatam rem agant vel domi forisq; se exerceant, vt aliquid efficiatur quod pos

ſit prælucere, ludent operam, fruſtra laborabunt niſi loquentem ſapientiam habuerint adiutricem. Nec me pigeret, vt ſincere uobiſcum agam, ſingulas, quæ ſunt ex hac arte, quam ſic acriter defendo, vtilitates recenſere, niſi Oratio mea pro eloquentia ab hinc bienniũ edita, poſſit a Vobis cum libuerit peruolutari, vbi omnia breuiter commemorantur, quæ neceſſario ſunt oratori deferenda. nunc pro nulla alia re magis contendo, quam vt vobis oſtendam, Poeticen Rhetoricæ nõ eſſe præponendam, & maiorem potius in oratoribus quam in Poetis operam conſumi debere, neque enim illud quod de voluptate dici ſolet verum eſt, iucundiorem ſcilicet ex carminibus, quam ex ſoluta oratione capi poſſe, hæc enim ſi ſuis conſtet numeris & ita modulate deſinat, vt audientium aures impleat, nulla ſuauior cantilena, nullus iucundior ſonus audietur. Hoc olim poterat obijci, cum nondum numeroſa inuenta eſſet oratio, ſed ſimulac Gorgias & Thraſimachus numeros orationis excogitarunt, quos poſtea perfecit Iſocrates, magna ſunt affecti voluptate Mortales, qui Oratorem concinne, & numeroſe loquentem audierunt. Ad hæc, Quamuis nonnulli fuerint, qui de Rhetorice male ſenſerunt, mirum videri non debet, cum Poeſis etiã in paruo ſit Romæ olim honore habita, Fuluiusq; nobilior male audierit, quod Ennium ſecum duxerit

in

In Aetoliam, sed quando bonarũ artium hostes de fuerunt? Epicurus dialecticam vituperauit, Domitianus expulit ex urbe totaq; Italia Philosophos. Et vt altiora tangam, Thrasimachus iustitiam maledictis est insectatus & Diagoras religionẽ, nullos enim putabat esse Deos, quo quid deterius et detestabilius dici possit, equidem ignoro. Proinde nihil est, quod nostros animos ab hac re maxime reip. necessaria deterreat, maximasq; gratias Coraci & Thysiæ primis (vt aiunt) huiusce artis scriptoribus agere debemus, naturam enim excolere conati sunt, & illa prudenter edocere, quæ forent honesta, vtilia, & periucunda. Etenim, si volumus recte loqui, aut laudabiliter aliquid exarare, quod sit ad posteros propagandum, necesse erit præcepta, quæ nobis antiqui Rhetores reliquerunt memoria tenere, sin minus, ieiuni insulsi aridi nullaq; digni laude putabimur ab ijs, qui acri sunt iudicio præditi, & sedulo cuncta metiuntur. Itaq; cum hæc omnia mecũ cogitassem, vt vestræ prospicerem vtilitati, pro qua nullum sane umquam laborem subterfugi, hoc anno Christo opt. Max. approbante, certum est Ciceronis opus de Oratore ad Q. Fratrem diligenter interpretari, licet.n. permulta Cicero scripserit, quæ poßunt homines eloquentiæ laudem expetentes plurimũ adiuuare, hoc tamen opus ita mihi lepidum ornatũ uarijsq;

præceptis refertum uidetur, ut unusquisq; litteris deditus, qui cupiat eleganter & illuminate loqui memoriæ tradere debeat. Ego, ut de me ipso loquar, cum libet aliquā legendi uoluptatē capere, ad hosce dialogos tamquam ad hortos amœnissimos ingredior, vbi, quocunq; oculos conijcio, innumerabilia sane occurrunt, quæ me totum omni reiecta cura & solicitudine reficiunt, ut nunquam inexhausta legendi cupiditas ceßet, Quid igitur? uehementer etiam atque etiam hortor, ut siquid est, quod uos a bonarum artium studiis abalienarit, ualere iubeatis, His.n. nescio quid præclarius potuerit a Priscis Mortalibus inueniri, & Has dicere audeo non humani tantum ingenij facultate fuiße inuentas, sed potius ope diuina. Accepistis populos, qui alterum Mundi uerticem spectāt, litterarum rudes & imperitos, priusquam ab Hispanis fuissent ex culti, littteris instituti, & uiuendi præceptis instructi, præter formam nihil sibi ad hominis similitudinem reseruaße. At ut ad id de quo dicebam reuertar, Vnaquæq; doctrina, nisi fuerit ornata, & artificio quodam & expolitione distincta, mihi ualde non probabitur, qui enim certam loquendi normam & rationem non callent, dum proferre aliquid uolunt, sæpenumero temere uagantur, ad finē properare nesciunt, multa dicunt quæ possent silentio præteriri, multaq; prætereunt quæ merito

merito forent pronuncianda, sæpe cōcidunt & delumbant sentētias, rem potius implicant quā explicant, inuoluunt magis quā euoluūt, & non lucē, sed caliginē ante oculos ponunt. Vos, quæso, Auditores discite copiose sapienter distincte & enucleate loqui, labores enim qui pro uirtute colenda fortiter excipiuntur, magnæ gloriæ expectatione mitigari solent. Ego nunquam desinam meum diligenter obire munus, & quæ in diuturna obscuritate latuerunt, uobis pro mea uirili parte pateficiam.

Dixi.

IOANNIS CAESARII CONSENTINI POEMATA.

AD PIVM IIII PONT. MAX.

DVM uitas magnũ Pastor Diuine calorẽ,
Et frondosa tuas per iuga pascis oues,
Non sopor irriguus placida te sternit in (umbra
Sed superas Argi lumina luminibus,
Præcipitemq; fugis rupem præruptaq; saxa,
Et rapidos arces uoce sonante lupos.
Quin etiam medico depellis gramine morbos,
Ac pecudum sacro flumine membra lauas.
O nos felices quibus aurea iam redit ætas,
Et quibus umbriferum per Nemus ire licet.

GALATEA.

Retia dum ſiculi Nautæ ſub nocte legebant
Præcipiti, & ſomnũ, iã decedẽtibus aſtris,
Curarum requiẽ cupiebant carpere feſſi,
Talia muſcoſo recubans ſub fornice Mopſus
Nequicquam triſtì fundebat carmina uoce.
Dum Nox obſcuro Ponti tegit æquora uelo,
Cunctaq; tuta ſilent, medijs & Phorcus in undis
Nereidum cuſtos placido dat membra ſopori,
Huc ades o Galatea, potes nunc littus adire
Trinacrium, tandemq; meas extinguere flammas,
Huc ades, & quoties fudi per ſaxa querelas
Te meminiſſe decet, tibi non ſub rupibus Aetnæ
Armeniæ dederunt lactantes ubera Tigres;
Nec peperit libycis te fulua leæna cauernis,
In liquida enixa eſt, qua nil eſt mollius, unda
Te Dea, quæ mites docuit non effera mores,
Quid tibi uirginitas prodeſt? Te cærula Doris
Cæruleo peperit Nereo commiſta, nec illam
Pænitet, in te una figit ſua lumina mater,
Te gaudet maris eſſe Deam, quam deperit omnis
Tritonum chorus, atque ardent agreſtia Fauni
Numina, Quid? ſi etiã Tu per maria alta uagãtes
Aſpiceres natos, & regna liquentia cælo
Numinibus decorata nouis æquanda putares?
Quæ Dea non prolem partu dedit? illa marita

Eſt

Et germana Iouis quantum lætatur in aula
Aetherea, incedit dum per stellantia greßu
Atria diuino stellis quoque pulchrior Hebe
Alcide coniuncta viro? Diana pudoris
Immemor illectum sibi iunxerat Oriona,
Atque Ennæa Ceres nata lætatur eunti
Arua per Elysii, quam Styx ueneratur & ardens
Miratur Phlegethon, Erebusq; Vmbræq; silentes
Suspiciunt, pauitatq; trifauci Cerberus ore.
Ipsa sibi plaudit Pallas, se iactat in arce
Actæa, sibi sola placens, inuisa Deabus,
Munera quæ spernit Veneris, quæ pectore constat
Torua tuens rigido, precibus nec flectitur ullis.
Nil te forma iuuat si non hac uteris, olim
Tempsisti merito raucis Cyclopa uocantem
Vocibus, hirsutus turpi pædore situq;
Obsitus, atque humeros hircino Tergore tectus
Amplexum Galatea tuum formosa petebat?
Ast nuper textum Genitrix mihi misit amictum,
Bisq; die faciem uitreo me fonte lauantem
Vidisti scopuli siccans in Vertice crines,
Huc aduerte oculos, glaucis caput exere ab undis
Et mihi præbe aures, accede ad littoris oram,
Nec timeas, hic nulla tibi fraus cæca paratur,
Quid iuuat in stagnis Neptuni degere uitam?
Quæ turbant Euri, Boreas, Cauriq;, Notiq;,
Et quæ deformes Phocæ, scopulosaq; Cete

Per-

Percurrunt. Epulas & quas tibi suggerit Aequor.
Vel crudas conchas, uel crudis ostrea succis
Esuriens spinis uel tectum carpis Echinum,
Siq; sitim cordi est restinguere, quæ tibi lympha?
Salsa tibi tantum, quam monstra immania sorbēt.
Huc ades, en uirides horti & beneculta uireta,
Hic tibi frondescunt lauri, uiret Arbutus, arbor
Palladis, & Paphiæ myrti, uiret Africa lotos,
Hic quoque ramosis redolentia poma uidebis
Arboribus pendere suis, quæ condita seruo
Cum pluuias effundit hyems, glacieq; rigescit;
Est fons illimis sinuoso gramina riuo.
Qui rigat, & leni deuincit lumina somno
Murmure, cuius aqua nectar non dulcius haurit
Iupiter altitonans. uenient de culmine montis
Spectatum Nymphæ, choreas quæ ducere Tecū
Et Tecum cupient modulari carmina uoce,
Accurret Pan montiuagus, cui Fistula pendet
Ex humeris, pulchroq; tuo pendebit ab ore,
Sed non audebit procul astans dicere quicquam,
Pastorum Deus est, pecudum tutela mearum,
Septorum Custos, qui fures arcet ab agnis
Imperitansq; lupos frænato continet ore.
Non est cur metuas, iam nunc sub nocte marinis
Fluctibus exiliens Phorcum cunctasq; sorores
Decipias, tacitoq; seces leuis æquora cursu.
Crastina cum surget tenebris aurora fugatis

Arua

Arua per incedes contemnens numina Ponti,
Nec te uentosis Regnis cessisse pigebit,
Spectabis ridens celsa de rupe procellas
Aequoris, & dices tecum, quæ regna per annos
Tot colui demens? undas scopulosq; sonantes
Horrebis, uitæq; hominum misereberis ultro,
Qui cum fœcundæ possint Telluris Alumni
Viuere securi, frugum genus omne legentes,
Audent sæpe ratem dubijs committere uentis
Perq; nefas uetitum lethales quærere cursus.
Dũ tempus superest, propera, sub tegmine quercus
Frondosæ dabitur reliquam traducere noctem,
Non opus est tecto, dum sol coquit arua leonis
Terga premens; cogent sed cũ nos frigora Brumæ
Non deerunt tibi tecta, mihi bonus ille reliquit
Quæ Thyrsis moriens uario depicta colore.
Et si forte pudet te, quod sis nuda, uagantur
Quæ per Sicanij montis fastigia Nymphæ
Occurrunt artus nullo uelamine tectæ,
Et tibi si uestis uerecundæ quæritur usus
Lintea palla mihi est, nuper quam texuit arte
Attis Palladia non æquo funere mersa.
Me pateris Galatea mori, nec pectoris ignes
Sæua mei cernis, poterunt qui lumen eunti
Præbere, ardentis quiq; Aetnæ incendia uincunt.
Huc ades, amplexusq; meos ne despice, iunge
Te mihi, nec pigeat morienti ferre salutem

Talis

Talia iactabat Mopsus, Cum Lucifer ortũ
Sidera cuncta fugat nitido, noctisq; tenebras
Exoriens coniux Tithoni roscida soluit,
Et ridens Galatea uadis se condit in imis.

AD IVLIVM ROGERIVM
quod naturalia bene intelligi non possint.

QVis potuit matris Naturæ arcana referre?
Nulla potis uis est hominũ. Telluris Alũnus
Sicaniæ ardentem qui se coniecit in ignem,
Nequicquam effudit uires, caligine mentis
Obsitus haud unquam potuit penetrare latebras,
In quibus abdiderat rerum primordia, causas,
Consiliumq; suum Cæli Terræq; Marisq;
Arbiter omnipotens Deus, & melioris origo
Mundi, cui paret nitidis exercitus alis
Aethereus, parent elementa & quidqd ad undas
Cocyti stygiosq; lacus deplorat ademptum
Perpetuæ lumen uitæ, & sibi nectaris haustum;
Nec reus ille Anyti potuit quoque noße recessus
Naturæ; hic uere nouit quæ nubila mentes
Obscurent hominum, diuino flamine tantum
Discutienda, sagax cælestia signa reliquit
Et permista elementa & quæ nascuntur ab illis,
Noluit & tenebris immersus quærere lucem
Phœbeam frustra, fessosq; obtundere sensus.

Nil etenim est aliud dubijs in rebus egentem
Consilio uersare animum, quam si aspera nudus
Per dumeta feras gressũ, aut maris æquor arandũ
Esse tibi exuto remis Velisq; putares.
Hic potius sophiam cælo accersiuit ab alto
Inq; domos humiles duxit, quæ pectora purgat;
Sensibus & spinas prudenter uellit acutas.
Obijcies doctum Iuli mihi forte Platonem
Quem non inficior flumen fudisse leporum
Et supra uires hominum potuisse uagari
Per terræ campos & per cælestia Templa,
Hic tamen incerto pede labitur, atque uiarum
Nescius in dubium uocat omnia, sæpe relinquens
Lectori arbitrium, & quæ sunt incerta recusat
Asserere. At qui multos illum audiuerat annos
Interdum dictis figit uiolentus amaris,
Hic etiam tumido qui pectore cuncta Priorum
Euertit monumenta, alijs dum uera laborat
Vestigare modis, nimium sibi uendicat, altum
Per mare contemnens uentorum flamina currit,
Naturæq; sinus quærit, Thalamosq; repostos,
Sæpius & scopulis illisit nocte carinam
Obscura, & remo incumbens uix attigit oras
Littoris extremi. Quid cetera turba Sophorum
Efficit, & rupes peragrans & in hospita saxa?
Meandros reperit sinuosos & labyrinthos.

C De

DE OBITV HERCVLIS Gonsagæ Card. qui concilio Tridentino præerat.

RElligio lacerata genas, & scissa capillos
Fundit pallenti lacrymarum flumen ab ore
Gonsagam repetens, qui cedere nescius unquam
Herculea subijt pondus ceruice ferendum,
Vt mala per cæcas hominum uolitantia mentes
Palladis auxilio tandem superata fugaret.
Et iam lætus erat referens uictricia signa,
Hostibus inq; fugam uersis, iam victor ouabat,
Cum fera Mors nigris per terras uecta quadrigis
Inuadit, manibusq; illum furacibus aufert.
Illius at melior pars quæ non uincitur æuo
Concilio fruitur Diuum, cæloq; refulget.

Ad Nauim quæ Seuerum uehit.

SIC te ledæum tueatur in æquore Sidus
Numine sic faueat Cypria Diua suo,
Hippotades uentos saxoso claudat in antro
Et Boreas gelido solus ab axe uolet,
Athera qui purum moderato flamine reddat
Vt secura ferum per mare Nauis eas:
Lit toribus doctum campanis redde Seuerum

Qui sua Castalijs corda rigauit aquis,
A puero cui mens electro est purior omni
Incorrupta fides, simplicitatis amor,
Cognita cui frondens magis est Parnasia rupes
Quam cuiquam a caro patre relicta domus.
Heu uereor liquidos campos turbantibus Euris
Ne scopulum incurras fluctibus acta feris.
Heu uereor rabies Austri ne carbasa scindat,
Et te quassatam sorbeat Vnda fremens;
Ante oculos noctu uersantur mille procellæ,
Concipioq; animo mille pericla meo.
Quam ferus ille fuit primus qui littora liquit,
Ausus & insanis pandere uela notis;
Quam fuit immitis uitam qui credidit undis,
Atq; nouum docuit mortis adire genus.
Non satis huic fuerat fluuios tranare lacusq;,
Non satis huic fuerat terra colenda ferax.
Sed uoluit tentare uias per marmora ponti,
Atq; procellosos peruolitare sinus.
Iuraq; naturæ contemnens protulit audax
Fines, alterius uidit & astra Poli.
Qui scelus hoc docuit, fuit hic immanior angue
Non hominum mores hunc habuisse reor.
Hercynio in saltu fuit hic nutritus ab vrsa
Montibus aut Geticis ubera suxit equæ.
Nil aliud certe tot casus ferre coegit
Quam temere optatus maior aceruus opum.
Repperit hæc fraudes, cædes, & furta Cupido,

Inter germanos dissidiumq. parit
Hæc facit ut Natus transfigat sæpe parentem
Hæc facit hospitibus sit quoque nulla fides.
Impulit hæc seruum succidere colla securi
Decumbentis heri, aut nil metuentis heræ.
Nulla hominum strages, nec tot commißa fuissent
Prælia, Roma etiam nunc foret illa uetus.
Ni Furia hæc animos diris armata colubris
Succensos facibus sollicitasset atrox.
Quam bene uiuebant Veteres qui pocula mensis
Non apponebant aurea gramineis.
Nondum cassis erat, non miles strinxerat ensem
Cetera non sollers cuderat arma faber.
Nondum lynter erat, non dentibus anchora nauim
Fundabat, nondum puppis arabat aquas,
Cudebat tantum sub dura incude ligones
Rusticus, & facili ferrea rastra manu.
At quia corrupta est hominum natura, per undas
Et tentauit iter nulla pericla timens,
Et tu constructa es nauis, quæ cærula uerris
Quaq; meæ uebitur maxima pars animæ.
Euita fluctus, & saxa latentia, dulcis
Et pete Parthenopes littora tuta meæ,
Taurum ego Neptuno uotiuum gramine pasco
Euganeo, fundens nocte dieq; preces,
Et Tibi serta lego uiridantia: queis tua puppis
Est ornanda, nouum remigiumq; Paro.
Vela tibi & malum seruo, quem Theßala Pubes
In Syluis olim strinxerat Emathijs.

AD MARCELLVM.

QVID iuuat æratis argentũ condere in arcis
Tænariisq; domos condere marmoribus?
Quid prosunt fasces duodeni, quidue Secures?
Quid Diadema sacrum pupureusq; color?
Nil est quod perstet, nil est quod dicere possis
Esse tuum, pauper, qui modo diues eras.
Quo veteres abiere tui Marcelle Quirites,
Quos timuit rapido flumine Danubius?
Quos tremuit longus nutanti uertice Taurus,
Quiq; Poli fulcit culmina magnus Atlas.
Quis nunc est Prætor, quis Cõsul, quisue Senator?
Quis Cilici dicit iura, Quis Assyrio?
Quis contra Pœnos claßem struit atque rebelles
Armenios? Vbi nunc est Gener atq; Socer?
Abstulit imperium fortuna uolubilis, & quos
Presserat occulto tollit iniqua dolo.
In gyrum furiosa rotam conuertit, & instans
Illa globo firmos nescit habere pedes.
Lumine nunc placido spectat, nunc torua tuetur,
Nunc dat, nunc uacuas pr æbet auara manus.
Et quos insigni virtus decorauit honore
Et clypeo tutos Palladis eße uidet,
Insectatur atrox, telisq; affligit acutis
Vipereo tetrum uirus ab ore uomens.
Sic humana fluunt, sic rerum uertitur ordo,
Vt genitum quicquid cernis, inane putes.

Qui diuina eßent rebus meliora caducis?
Hæ nisi deficerent, perpetua illa forent.
Ex quo Tellurem liquidis disiunxit ab Vndis
Tornauitq; Polum, finxit & astra Deus.
Omnia quæ puro Natura sub æthere gignit,
Aut ætas tacito dente vetusta terit,
Aut quæ magna premit, quæ paruula tollit ad auras
Sæua nouerca bonis Sors malefida rapit.
Nec temere hoc statuit, qui concutit ardua nutu
Aetheris, imperio qui regit ima suo.
Vt spernatur humus, quā perflat turbidus Auster
Et subitus gelidis verberat imber aquis,
Iussit vt ad superum mortales lumina cælum
Erigerent, sedes suspicerentq; suas,
Illuc accersit, quæ semita ducat euntes
Nos docet, & certa lampade præbet iter.
Largus ibi æternas Fortunas spondet abunde,
Nectareos haustus, Ambrosiasq; dapes.
Hic vbi non affert sæui maris ira timorem
Non frigus, rabies æstiferiq; Canis.
Est secura quies, & gaudia, lux quoque vera
Lux quæ dat cunctis lumina sideribus.
Si domus est igitur nostra hæc ruitura, peribit
Copia si rerum, si quoque vanus honos,
Docte puta Marcelle diem lucere supremum
Et iam iam vitæ fila secanda tuæ,
Sic te non lædent fœdæ contagia Plebis
Ardescens sic te non coquet anxietas.

AD FVSCVM.

SI te non tangit rerum nimis anxia cura,
Nec tua magnus opum corda perurit Amor,
Non verrenda tibi longis sunt æquora Tonsis,
Sed tua per placidas Cymba feretur aquas.
Si sapis hæc audi, quæ sunt seruanda per omnem
Aetatem, & sanctus quæ tibi dictat amor.
Ne te littoribus scopulosis crede, nec altum
Per mare sollicitæ dirige nauis iter,
Nil metuit Prudens qui per freta currit ab oris
Non procul, & terræ culmina summa videt.
Inuadet medijs si te ferus Auster in Vndis,
Vndiq; si Cælum, atq; vndiq; Pontus erit,
Spes tibi nulla fugæ, rapient te flumina, clauo
Auulso, & mersis æquore Remigibus;
Nudus ad ignotam fluctu eijcieris arenam,
Nec Soror aut Coniux te tua condet humo.
Et qui spectabit tabentia membra Viator
Ora rigans lacrymis talia dicta dabit.
Si foret insano rerum moderatus amori
Hic poterat Vitæ consuluisse suæ.
Sed quia corripuit miserum furiosa Cupido
(Heu) tumuli solito nunc sine honore iacet.
O pereat quicquid sub terra conditur auri,
Sylucscant pinguis iugera multa soli,
O pereant Vestes Sarrano murice tinctæ,
Peruastent amplas Fulmina sæua domos.

O pereant sacræ Trabeæ, sacriq; Tiaræ,
In rapidumq; ignem Sella curulis eat.
Mi sat erit modicum, nec tot perferre procellas
Est cordi, dubijs nec dare uela notis.
Surgat aceruus opum cupidis & dentur honores;
Incautis cuncta hæc auferet una dies.
Iupiter aerias intortis ignibus arces
Diruit, atque æquat tecta superba solo.
Montibus in summis proceram funditus ornum
Euellit Boreas, dum per inane furit.
Tutus Ego in paruis uiuam feliciter agris
Illic Attalicæ despicientur opes.
Culmine nec sistam celso, nec ualle profunda,
Est medio sedes certa paranda loco.
Sic mihi nec uenti poterunt, nec fulmina obesse
Nec quæ de summo uertice saxa cadunt.
Hæc dicet fessus miserans tua fata viator;
Si sapis, hæc tacita condita mente tene:
Nec desunt exempla tibi; si Iulius olim
Non excessisset limite Fusce suo,
Nec conscendisset suprema cacumina rerum
Qui fregit Diuum iura hominumq; simul,
Non statuam Generi fœdasset sanguine cæsus,
Vixisset domina tutior in Patria.
Quid de Pompeio? num iuuit gloria, fastus,
Imperium, fauor, & summus honoris apex?
Ex alto cecidit Romano fusus ab Hoste:
Commisit pelago seq; suamq; domum.

Et quod luminibus non possum dicere siccis,
In Phariis truncus littoribus iacuit.
Fusce animum compone tuum, quæcunq; parasti
Vtere, nam, uitæ quod satis, illud habes.
Plura petenda tibi non sunt. Natura magistra
Respuit, æqua petens, omne superuacuum.

AD EVNVM.

NON semper gelidis niuibus Rodopeia rupes
Contegitur, fagos nec mouet usque Notus.
Sæpe uiator iter tendit per celsa Niphatæ
Culmina, nec glacies impedit alta uias.
Interdum maris ira cadit, stratumq; per æquor
Currit Nauta uagus faustaq; signa uidet,
Non semper uirides uiduantur frondibus orni,
Cedit hyems, flores uere tepente uigent.
Fluctibus æquoreis errabat durus Vlysses
Sulcabat placidus sed tamen arua Pater.
Neleidesq; senex non cunctis solibus Eune
Plorauit nati funera acerba sui:
Tu tamen Acrisium luges noctesq; diesq;,
Nec te solari docta Thalia potest.
Forte putas lacrymis mulceri pectora Ditis,
Atque Erebum precibus posse patere tuis?
Persephones Raptor colubris est sæuior atris,
Durior & saxo ferrea corda gerit.
Tu nihil efficies, uel vincas Orphea cantu,

Vel

Vel citharam tradat pulcher Apollo suam.
Ostia sunt Erebi duro ex adamante, trifauci
Quæ Canis obseruans personat ore ferus.
Et volitant Furiæ, quarumque per tempora fundunt
Sibila serpentes, seq; per ora ligant,
Et quæ succensis facibus rigidisq; flagellis
Cædunt, & surdis auribus esse solent.
Labitur & Phlegethon, qui flammas voluit euntes
Instar aquæ, & tetrũ margine sulphur habet.
Portitor ille vmbras per nigram qui styga vectat
Ore tonans fœdo cogit abire procul.
Pœnitet hunc olim Alciden vexisse superbum,
Et geticum Vatem, quem stupuere feræ:
Inijce mærori frænum, abstergeq; fluentes
Ore tuo lacrymas, funde merum Genio,
Non est plorandus, cuius vaga fama per oras
Excurrit Pharias Armeniasq; plagas,
Non est plorandus, qui per viridantia prata
Elysij, doctos fundit ab ore sonos,
Acrisii canit Acrisius crudelia Fata
Et stupet Andinus Mœoniusq; senex.
Dum memorat Danaes raptũ, turrimq; sub auras
Erectam, & magni dulcia furta Iouis.
Mirantur Manes tacitiq; silentibus auris
Auribus Acrisii carmina docta bibunt.
In lapides homines vertentia concinit Ora
Gorgonis, Illius cæsaq; colla refert,
Perseaq; actææ munitum umbone Mineruæ,

Arcadius Maiæ cui dedit arma Puer.
Et canit Emathijs vt montibus vndiq; iactis
Bellarint supero cum Ioue Terrigenæ,
Assistit latio qui carmine vincit Homerum,
Et qui Pindarica concinit arte modos.
Assistit Vates Pelignæ gloria gentis,
Assistis numeris culte Tibulle tuis.
Hi procul a curis vanos liquiße labores
Lætantur, rerum despiciuntq; vices.
Et sibi certatim contexunt florea serta,
Et ducunt choreas læta per arua leues.
Ille sed ad cæli si lucida templa volauit,
Afflictet non est cur tua corda dolor.
Arduus ingenti despectat ab æthere terras,
Et mundi pedibus sidera celsa premit,
Fulgenti Diuum lætus discumbit in aula,
Nectare cælecti pocula plena bibit.
Ventorum furias contemnit, & æquoris undas,
Nec tutus brumam solstitiumq; timet.
Miratur Solem duodena per astra uagantem
Miratur Phœben, Falciferumq; senem.
Nautarũq; ducem Cynosuram spectat, & illam
Quam dicunt Helicen, Sidereosq; boues.
Miratur nitidi spatiosa uolumina Cæli,
Miraturq; orbes otbibus impositos.
Nos potius lachrymis digni, quos frigora, morbi,
Diuexant, æstus, & sitis, atq; fames.
Et terret Fortuna minax, sæuiq; Tyranni,
Intentantq; trucem mille pericla necem.

AD SEXTILIANVM.

Non est cur doleas, non est cur pectora curis
Tabescant nimiis Sextiliane tua.
Si Fortuna ferox, claram quæ sæpe lacessit
Virtutem, iaculis te petit usque suis.
Ito audax contra, Clypeumq; oppone furenti
Palladis, hæc Forti suggerit arma Viro,
Arma æquanda illis quæ olim Vulcanus Achilli
Fecerat inuicto, Dardanioq; Viro.
Fac tua mens assueta malis consistat in arce
Sublimi, hostiles despiciatq; minas,
Sors fera quem cernit rebus succumbere fessis
Sternit humi, & fœdo proterit ora pede.
At si pugnacem dextra contendere forti
Cognouit, gelido capta timore fugit.
Quot subiit casus Alcides inclytus Heros
Scanderet vt summi regna superna Iouis?
Hic puer in Cunis geminos eliserat angues,
Hic fuit impulsus mox grauiora pati,
Horrendum Nemees fertur superasse Leonem,
Hinc sua nunc Fuluo tergore Terga tegit.
Lernæam rigido ferro & face contudit Hydram.
Lethaliq; ferum vulnere fudit Aprum.
Cornua veloci contendens aurea Ceruo
Abstulit, & volucres expulit Arcadias.
Exultans spoliis, & magna laude triumphans
Discessit bello Victor Amazonio,

Augeæ Stabulum solito purgauit honore,
Et Taurum celeri fecit abire fuga.
Quin etiam Regis crudelia membra quadrigis
Threicij merito dilaceranda dedit,
Geryonis validi tria corpora vicerat vnus,
Robore qui totam perculit Hesperiam.
Hesperidumq; hortos penetrauit, et angue perẽpto
Successu exultans aurea mala tulit.
Tandem nulla timens Manes descendit ad imos,
Et rabidum toruo surpuit ore canem.
Post tot prævalida susceptos mente labores
Lucida ab Oetæo scandit ad astra Iugo.
Cælicolumq; choro immistus sua facta recenset
Et fruitur pulchro Coniugis ore suæ.
Nec timet Eurystei regis mandata, nec iram
Iunonis, genero nunc fauet illa suo.
Quisquis uirtutem sequitur per in hospita tesqua
Perq; salebrosum fortis anhelat iter.
Per loca frigoribus quæ sunt inculta, per ignes,
Fædaq; sulphureis flumina transit aquis.
Harpyiæ Occurrunt, & Gorgones atque Chimæra,
Et cum Centauris bella gerenda uidet.
Si Sibi constiterit, cumulatus laude perenni
Elysii tandem rura beata colet.
Et uiridi requiem fessus captabit in umbra,
Qua nemus est frondens, & leuis aura sonat.
Concentus uolucrum suadebit inire soporem
Et leni strepitans murmure riuus aquæ.

Illic

Illic sunt nitidi flores, Hiacynthus, Adonis,
Quiq; fuit formæ captus amore suæ,
Cum Viola & Caltha sunt uiuaces Amaranthi
Et rosa diuino tincta cruore rubet.
Ver est æternum, pomis frondescit onusta
Arbor, quæ nunquam frondis honore caret.
Et siquis pomum ramo decerpserit unum
Admirans subito plura renata uidet.
Illic perpetui spendescunt lumina solis
Nullaq; nox illic pandere uela solet.
Non Boreas, non sæuit hiems, non nubila densat
Auster, pacato est æthere clara dies.
Nos ætate pares animisq;, per ardua cursum
Tendamus, ueniet Sextiliane quies.

AD OCNVM.

Vrbis delicias fastusq; relinque superbos,
Et pete secessum si sapis Ocne meum.
Istic nulla quies animo est, & nulla uoluptas,
Quæ tua non cæca pectora pungat acu.
Te leuis Ambitio torquet, ferus Ardor habendi,
Tabificus sensim Liuor & ossa terit.
Vilem cernis humum, nec sursum lumina tollis,
Nec mundo quenquam credis inesse Deum.
Sidonio quoties Proceres tibi murice compti
Occurrunt, miser hos numen habere putas.
His aperis subito caput, & sacra Templa dicares,
Pilea si

Pilea si uiridi tincta colore darent.
Quæ te Tisiphone sæuis accincta flagellis
Cædit, & in certo non sinit esse loco,
Nunc huc nunc illuc furiata mente uagaris,
Percurrisq; agili compita cuncta pede.
Lutea nocturnas nondum Dea dispulit umbras,
Et Procerum cupida limina mente teris;
Herculeos quorum si quis te ferre labores
Iusserit, Eoas & penetrare domos.
Promptus es, & dicto citius te accingis, biulcet
Quamuis Sol terram, aut nix tegat alta uias.
Quæ miraris hians, stolidis Fortuna ministrat,
Labunturq; tua fluxa repente manu.
Dic ubi sunt Regum Fortunæ, & Gaza Quiritũ,
Quo cessit magni Cæsaris ampla domus?
Quid nunc Pontificum restat, nisi nomen inane?
Nil prodesse aurum, nil potuere dapes?
Vrbem linque istis, qui miscent candida nigris,
Turpia qui fucis turpiter ora linunt.
Culmina qui numquam studuerunt uisere Pindi
Qui temnunt Phœbi Castalidumq; sonos,
Et quibus haud cordi est cæli conuexa tueri,
Sed libet inferni nosse Acherontis aquas.
Huc accede, Alni fessus uiridantis in umbra
Sub rapido poteris Sole sopore frui.
Et uacuus curis flaui prope Crathidis undas,
Mœnalium uinces Thyrsin arundinibus.
Rure Deum poteris felici degere uitam,

Rus Diana colit Capripedesq; Dei.
Rus quoq; Pierides ueniunt, Iouis inclyta proles,
Et citharam gestans pulcher Apollo uenit.
Solus abest Veneris Puer, hic nam tecta frequẽtat
Aurea, & hic luxum molliciemq; cupit.
Saeue puer quae digna tibi conuitia dicam?
Quo te deuoueam carmine saeue Puer?
Tu faedas hominum uitam, Tu nescius Aequi
Imperio subdis fasq; nefasq; tuo,
Nil metuens fido fraudem Tu nectis amico,
Nec consanguineus Te cohibere potest.
Te duce concubitus uetitos petiere nouercae,
Cunq; suo mista est impia nata patre.
Germanum Canace miseris incensa fauillis
Deperijt, Quod non Tu scelus esse potes?
Laomedonteam potuisti euertere Gentem,
Caedibus & phrygium commaculare solum.
Mutasti Annibalis Fortunam, saepe Quiritum
Vastator flammas qui fuit ante tuas.
Romanum Regina Ducem Memphitica uinclis
Vinxit, quae poterat soluere nulla dies.
Et Catilina suo miser ut frueretur amore
De medio natum sustulit ipse suum.
Cede hinc saeue Puer, non hic tibi sacra parantur,
Palladi casta placent Pierioq; choro.
Vre alios, habitant molles qui molliter Vrbem,
Et quos Deliciae, fercula, uina iuuant.
Arentem nos rure sitim labentibus vndis

Et Cereris dono pellimus esuriem,
Quid facis Ocne? moras cur interponis? auenā
Rure tibi seruo, si sapis Ocne ueni.

AD HORTVLVM.

SI mihi fata dabūt prosternere mēbra sub ūbris?
Hortule care tuis, cum coquit arua calor.
Tūc ego quidquid arāt Pharij Libyciq; coloni
Contemnam, rubri Chrysolithosq; maris.
Et dicam, cupidus currat mercator ad Indos
Iure suo magnas & sibi uectet opes.
Fluminibus uitam rapidis committat et Vndis
Per scopulos curuis puppibus ire paret;
Et modo frigoribus tremat artus Hic modo Solis
Impatiens gelidis se quoque mergat aquis.
Contentus modico sternam me in cespite uiuo,
Graminibus molles conficiamq; toros.
Fessa ubi securo requiescent membra sopore
Et spinas animo non Erycina feret.
Inde procul curæ sæuum genus, Inde Cupido
Dira procul, facibus Tisiphoneq; furens.
Non leuis Ambitio coget, lucriq; Cupido,
Despiciam ludos Nortia Diua tuos.
Diua feris æquanda, Vndis æquanda marinis
Sæuitia, atque Euris non leuitate minor.
A puero cur me sic insectaris, ut una
Luce mihi nunquam sit data certa quies.

Inconstans alijs, vni mihi perfida constas,
Inuida vis mecum non memor esse tui.
Improba turba tibi grata est, hanc excipis, auges
Hanc opibus, celso constituisq; iugo.
Hanc temere sceptro donas solioq; superbo,
Hanc Tyrijs cultam vestibus ire facis.
At recti studiosa cohors cultrixq; Deorum
Fraude tua obscuris heu iacet usque locis.
Et virtus laniata comas, & mersa tenebris
Ad superos tristi funditat ore preces.
Vis tua quam potis est, tam me furiosa lacessis,
Prostratumq; graui me pede saeua premis.
Scilicet haec laus est, haec ingens gloria victos
Vincere, nudatos & spoliare bonis?
Si sapis in rigidos vires effunde Tyrannos,
Ex alto qui Te vertice despiciunt.
Deturba e solio indignans, & rupibus altis
Hos age praecipites, hos fera linque feris.
Exquilijs sic templa tuis statuentur in altis,
Atq; Deae Brutae non tibi nomen erit.
Me sine in exiguo vitam traducere, Agello,
Me sine pauperiem posse fouere meam.
Non aurum posco, non atria magna potentum,
Non cupio luxu delicijsq; frui,
Haec petat Eurytion, qui mollia quaerit, et antrũ
Corycium spernit Castaliumq; nemus.
Sub lauro umbrifera, Phoebus cum spicula torquet,
Si potero somnum carpere, diues ero.

Excußus ſomno ramis pendentia poma
  Mitia cum ſolita ſedulitate legam.
Cum viridi menta folijs lactuca tenellis
  Eſt mihi regali gratior eſca cibo.
Non rhodius petitur Bacchi non Maſſicus humor,
  Sed cordi eſt gelido pellere fonte ſitim.
Hortule ſi potero pulſis te viſere curis,
  Atque tuis artus ponere graminibus.
Parnaſo faciam uiſat te Muſa relicto,
  Et veniat Phœbus dulcia plectra mouens.
Tunc mihi ſordeſcet Veſtis fucata veneno
  Aßyrio, & magnæ deſpicientur opes.

AD PONTICVM.

Cornua cur tollis? cur ſic tua corda tumeſcũt?
  Cur uis o demens immemor eße tui?
Collige te, fragilem vitam caſusq; latentes
  Tecum agita, & quì ſis Pontice noße potes.
Compactum tibi corpus humo eſt nudaq; figura,
  Torquet morborum quod numeroſa cohors,
Nunc te feruenti comburit ſanguine Febris,
  Frigore nunc tremulum tuſſis anhela quatit.
Diſtinet & crebris lateris dolor ictibus ingens,
  Et tua ſæpe dolet dextera, ſæpe pedes.
Nil proſunt olim medico tibi gramina ſucco,
  Nil Helenæ flores, nil Panacea iuuat.
Fruſtra Pæonio tentatur more ſalubre

Inuentum, tribuis quod tibi Phœbe potens?
Nonne uides quantis versatur uita procellis
Humana, & quantis fluctibus obruitur?
Nimbi, homines, gelidæq; niues atque horrida Grã
Inuadunt, rutilo Iupiter igne necat. (do
Si se fluminibus committit Vortice in alto
Hic mersus rapidas uoluitur inter aquas.
Ille iter ingrediens pedibus festinus ad agros
Contendit patrios, & loca tuta putat.
Obuius en latro stricto petit ense cadentem
Ante pedes, humeros uulnerat atque caput,
Et nisi quicquid habet sutum sub ueste Viator
Porrigat, ignota cæsus obibit humo.
Per campos alius dum se putat ire patentes,
Nil metuens, cæcam decidit in foueam.
Aut plantam latitans serpens mordebit acuto
Dente, & lethiferum uirus ab ore uomet:
Hic ruit e tecto præceps, uel obambulat Vrbem
Cum Iuuenis, fractus crura repente cadit.
Quot perimit se tosus Arper, quot deuorat alto
In nemore esuriens & lupus, atque Canis?
Nunc uesana Fames nunc te Sitis aspera torquet,
Nunc æstus, nimium nunc tibi frigus obest:
Quoquo Te uertis discrimina mille minantur,
Vt sit sollicito non tibi tuta domus.
Sæpe Parens natum perimit Natusq; parentem,
Frater & in fratrem mittere tela solet.
Si uarios hominum casus, uariosq; labores

Enumerem, numerus non ſatis ullus erit.
Nam potius libyci flauas metirer arenas
Littoris, aut frondes mons Erymanthe tuas.
Quid referam ludos Fortunæ? quæ modo tollit
Nunc homines Vndas deprimit ad Stygias.
Hæc inſana bonos uibrato traijcit enſe,
Hæc ſontes celſo Vertice conſtituit,
Muneribusq; auget, titulisq; inſignit honeſtis,
Gentibus innumeris & dare iura facit.
Nec quos Fortunæ iuuat indulgentia Cæcæ,
Aeria tuti uiuere in arce queunt.
Hos Auſter pluuius magna ui trudit ab alto,
Diſſipat aggeſtas & furioſus opes.
Quid niſi bulla ſumus? infans modo natus obiuit,
Ille duas nequijt uiuere Olympiadas,
Pontice cur tumidus per compita cuncta uagaris?
Inflatis buccis cur tibi uane places?
Nil tibi pro certo poteris ſpondere, nec horam
Tutus es, exagitat Ventus, & Vnda maris.
Et ſcopulos inter fragili uerſaris acutos
Puppi, per liquidas neſcius ire uias.
Vna ſalus tibi certa. oculos attolle. nitentem
Prudens cerne Polum, Sidereasq; domos
Et tacita cæli Rectorem mente uoluta,
Pocula qui nobis nectare plena parat.
Sic non captabis uacua caua nubila dextra
Sic non ſublatis cornibus Aſtra petes.

AD FONTEM.

CVM Sol exurit campos, & lampade pontum
Excoquit ardenti, saxaq; findit agris;
Quod mihi delicium, mihi quæ solatia fesso?
Ni liceat riuis membra lauare tuis.
Limpide Fons lympha qui curris prata loquaci,
Attica qui grato mella sapore refers.
Quæ numerosa tuo sunt præponenda susurro
Carmina? quis cantus dulcior esse potest?
Perspicuis undis mihi nutris gramina, laurum
Et myrteta tuis consita marginibus,
Per te coniunctis mihi sunt umbracula ramis
Sole sub ardenti frondea texta uirent.
Tu facis æstiferi canis ut latrantia temnam
Ora, nec horrescam flammea tela die.
Cum sitio, uitreosq; tuos haurire liquores
Possum, tunc ualeant massica uina procul.
Vina nocent animis, & priuant uiribus artus,
Dissidium, rixas, bella cruenta mouent,
Debilitant neruos, plantas & crura, rubore
Aspergunt oculos, debilitantq; aciem.
O si non unquam liquor hic tam noxius esset
Expressus, pereant Dolia, præla, lacus.
Centaurea potest homines fera pugna monere,
Munera quæ Bacchus perniciosa dedit,
Clarus Alexander medum qui uicit Hydaspen.
Et potuit fortes tot superare Duces,

Clarius

Clarius haud dubie nomenq; Decusq; paraßet,
Ni uini nimius sollitaßet amor.
Iactet uina suo uenusinus carmine vates,
Vinosum dicat Mœoniumq; senem.
Iure suo uitem sacram uocet ille, serendam
Ebrius hanc aliis præferat arboribus.
Illa Parens rerum nobis fœcunda liquores
Dat proprios, fontes, flumina, stagna, lacus.
Illa sitim arentem docuit restinguere lymphis,
Muneribus docuit prata rigare suis.
Mortales miseri uoluerunt ferre labores,
Inuentisq; suis tot peperere mala:
Non satis his fuerat tellurem scindere ferro,
Et fructus cultis carpere ab arboribus?
Non satis his fuerat fontes deducere ab altis
Montibus extructis marmore fornicibus?
O fortunati Veteres, quibus Vua placebat
Pensilis, & musto non erat ullus honos,
Non cyathus mensa non crater, Vrceus olim
Vnus erat longo gutture plenus aquis.
Deliciæ molles quantum nocuere? facessat
Quisquis amat Chio pocula plena mero.
Solus eris cordi mihi Fons o purior omni
Electro, solus tu mihi mella dabis,
Et lac quod nunquam desit, uel Terra dehiscat
Sole, uel hanc glacie sæua perurat hiems.
Limpide Fons pingui mihi cras donaberis ædo,
Non sine Narcisso purpureisq; rosis.

Illa gregis soboles lasciui sanguine riuos
  Purpureo inficiet Fons mihi care tuos.
Et te Pierijs numeris super æthera tollam,
  Ac saxum, strepitans defluis unde, cauum.
Et faciam, ut cælo splendescat fontis imago,
  Nec magnus tantum fulgeat Eridanus.

AD FAVSTINVM.

DVm licuit Faustine tibi producere Vitam
  Et neuit facili stamina Parca manu.
Itala te coluit Gens & dilexit Ibera
  Antetulitq; suis Gallia luminibus.
Tantus in ore lepos ut cedat fama Cethegi
  Flexanimæq; Deæ mella minora putem.
Quicquid Aristoteles & cetera turba Sophorum
  Scripsit, erat multo notius ungue tibi,
Quid de diuinis? poteras tu solus in Hostes
  Ire, & pro uera relligione loqui.
Iudicioq; tuo statuebant fidere Gentes
  Quæ flumen Rheni Danubijq; bibunt,
Hinc PIVS ille Pater summus, qui claudere cælũ
  Clauibus æthereis & reserare potest,
Per te Ventorum rabiem temnebat, & Vndis
  Turbatis tanto Remige tutus erat.
Si quando Aonidum cupiebas culta uireta
  Visere, castalio mergere & ora lacu,
Cantabas numeros quales per prata Caystri

Cantat olor, quales pulcher Apollo canit.
Si te tangebat Sermonis cura soluti
Scribebas lepido non Cicerone minor.
Quoquo flectebas animum, tibi Copia rerum
Copia Verborum diues & ampla fuit.
Dotibus e cælo ut uidit Te Iupiter auctum
Fortunæ innumeris, corporis atque animi,
Sic secum. ut uero possit cognomine dici
Felix, hunc certum est iungere cælitibus.
Tutus es in magni Regno Faustine Tonantis
Cum Superis dulci pasceris Ambrosia,
Non metuis casus dubiæ ludibria Sortis,
Non metuis morbos lethiferamq; luem,
Contemnis pluuias, atque Austri murmur aquosi
Et libycos æstus Threiciamque niuem.
Et curas hominum rides, qui nubila captant
Et qui sollicita mente caduca petunt,
Cælicolasq; inter superi Iouis ora tueris,
Et frueris requie perpetuoque die.
At nos, fata tuo spoliant quos dira fauore,
Cum gemitu uitam ducimus & lacrymis.

AD PONTICVM.

Horrida Tempestas abijt Cælumq; nitescit
Et Zephyri nubes dissipat aura cauas,
Frondescunt Syluæ, liquefactis Terra pruinis
Florescit, tepido Vere remittit hyems,

Per nemus umbriferũ fundit Philomela querelas
Pan Calamos inflat, gestit & omne pecus,
Fundit opes Natura suas, gremioq; soluto
In medium profert quidquid habebat humus.
Omnia iam rident, ponti pellacia Nautas
Ad cursum inuitat, iam posuere Noti,
Sed tua sollicitis tabescunt pectora curis
Et fugienda libens pondera ferre soles,
Indormis inhians nummis rebusq; paratis,
Inq; dies tecto condere plura cupis.
Siq; Arnum posses totum exhaurire fluentem
Restinguenda tibi non sitis illa foret.
Quid furis o demens? quæ te diuexat Erinnys?
Præceps consilio quo furibunde ruis?
Quidquid habes auri tandem populabitur ætas
Postera, sunt mortis qualiacunq; uides,
Vulgus iners petit hæc, quæ perflant Vndiq; uenti
Et manibus puncto temporis eripiunt.
Vulgus iners nescit quo nos uocet aurea Virtus,
Figit humo tantum lumina Vulgus iners.
Tu quem Pierides docuerunt ire per altum
Parnasum, & uanas temnere sortis opes,
Linque caduca alijs, quære immortalia mente
Erecta, & curas pectore pelle graues.
Cuncta terit minuitq; dies, labuntur ut amnes
Omnia, quæ superum contegit alta domus.
Non opus est cæcis pectus comburere flammis,
Et miseris mentem sollicitare modis.

Cæcuba prome tuis cellis, nec gaudia differ,
Hunc hilarem mecum Pontice sume diem.
Vita fugit, tacitis properat Mors subdola plantis,
Quæ subita miseros nos rapit atra manu.
Alcides domuit claua qui monstra trinodi
Defessus uiridi sæpe quieuit humo,
Et post exhaustos ponto terraq; labores
Ad teneros sueuit Coniugis ire sinus.
Atq; epulas inter uarias & pocula Bacchi
Nunc Iolen cecinit, nunc saturatus Hylan.
Transcendit Taurum Bacchus Semelia proles
Qui uires uicit decolor Inde Tuas.
Mox rediens uictor compsit sua tempora sertis
Nexilibus, patrios & remeauit agros.
Lætus ubi choreas agitans, & pocula siccans
Ciuibus ostentat parta Trophæa suis.
Iupiter ut Pindum disiecit fulmine & Ossam.
Et strauit crebris ignibus Anguipedes.
Cum Iunone sua nitidis lætatur in astris
Atq; immortali uescitur Ambrosia.
Tu tamen, aspiret flatu fortuna secundo
Quamuis, & nimias cæca ministret opes.
Nocte dieq; nouo demens consumeris igne
Addis & immensis pondera ponderibus.
Fidis præbe aurem dictis, animumq; relaxa
Nescis an tibi sit crastina certa dies.

In

IN MOMVM.

CVR in me tetrum uomis effera Bellua Virus
Qua minus immũdis putet Auernus aquis?
Quando Ego vipereo indignans te dẽte momordi
Vt me taurinis Cornibus vna petas?
Quẽ celebrat Crathis, mirantur Tybridis undæ,
Insontemq; uocant Templa, Theatra, Domus.
Bellua, quo diris cædam tua terga flagellis,
Sole oriente furens Sole cadente sequar,
Atq; faces uerc iaciam uelut altera Erinnys,
Vt merito ultrices experiare manus.

AD MARIAM Virginem.

NVNC libet Aonidum sitienti gutture Fontẽ
Haurire, atque antrum uisere Corycium.
Nunc Famæ cupio linguas, uocemq; sonoram
Quam Nilus, Ganges, audiat ac Tanais.
Non ut priscorum referam spolia ampla Quiritum
Non ut Græcorum bella cruenta Ducum.
Sed potius tua facta canam purissima Virgo
Vera Dei facta es quæ sine labe Parens.
At quia deficiunt Vires, nec carmine possum
Pierio laudes commemorare tuas;
Testetur debere tibi me parua Tabella
Et Vitam, & Vitæ commoda cuncta meæ.

EPIT. LAVRETANI.

VT lauretanum nobis Mors abstulit atra,
Qui sua Castalio merserat ora lacu.
Et quem sic nitido Virtus uelauit amictu
Vt foret æthereo Sidere lucidior.
Tot maris Adriaci lacrymarũ flumina Nymphæ
Fundunt & tristi pectore tot gemitus,
Vt freta turbatis Vndis feruentia surgant
Et referant querulos concaua Saxa sonos.
Hæc dum Neptunus muscoso spectat ab antro
Plorat, de supero conqueriturq; Ioue.

DE OBITV HERCVLIS
Gonsagæ Cardinalis.

MIncius exultans uario per littora flexu
Ludebat sertis comptus arundineis.
Nam Gonsaga suus præfulgens murice sacro
Altanti ac Tauro nomine notus erat.
Qui genere insigni & Sophiæ decoratus honore
Pro sacris ualida mente ferebat onus.
Non Athesis potuit tantæ præconia famæ
Præferriq; sibi parua fluenta pati.
Lethiferas auras rapido de flumine misit,
Quis auras subito polluit æthereas.
Et Gonsaga Pater Charitũ ac Virtutis Alumnus
Correptus morbo (pro dolor) interijt.

Hinc

Hinc dolet Eridanus, Tiberis turbātur et unda,
Mæroris fontes dant quoque ſigna ſui.

DE OBITV HIPPOLYTES Gonſagæ.

Aſcendit queribunda polum Tritonia Pallas
Nam ſe maiorem Viderat Hippolyten.
Et petijt Patris regnum Cytherea Tonantis
Namq; erat in terris pulchrior Hippolytæ.
Quæ ſimul eſt inter cæleſtia ſigna locata
Nunc magis atque magis torquet utrāq; Deā.

Interrogat Poeta Mortem quare Hippolyten Gonſagam rapuerit, & illa reſpondet.

Mors tibi cur libuit ſcelus hoc patrare nefandū
Hippolytæ inijceres vt violenta manus?
Non potui melius vires effundere, parua
S iſolum raperem, laus mihi nulla foret.
O Vtinam poßem cæleſtia numina, quæ me
Deſpiciunt, regno ſuppoſuiße meo.
Non erat Hippolytæ numen? quī vera negare
Poßum? pars capta eſt ſola caduca mihi,
Pars tamē illa Deæ formā referebat; et aucta eſt
Fama mihi, licuit cui rapuiſſe Deam.

DE

DE CAESARE CAROLO. V.

VT, cum nigranti rerum spectacula velo
   Et quicqd pulchri est Nox tenebrosa tegit,
Turbatur Natura videns sua munera luce
   Priuari, & solis lumina clara cupit.
Sic, vbi sublatus fatis est Cæsar iniquis
   Carolus, Hostiles quem tremuere manus,
Quo regnante loqui non ausa est turba licenter
   Impia, nec fines transiluisse suos,
Expetit illius victoria mæsta triumphos
   Relligioq; comas dilacerata gemit.
Vtraque Cæsar ades clamat, de vertice Olympi
   Descende, & valida tot mala pelle manu.

DE EODEM.

NON sibi Praxitelē petijt nec Cesar Apellē
   Cum statuis tabulas nā vorat ipsa dies,
Fort a facta, quibus tot monstra immania vici,
   Exemplar, dixit, posteritatis erunt.

DE EODEM.

ARmis dum vixit Cæsar perterruit Hostes,
   Post obitum solo nomine terror erit.

DE PATRIAE DESIDERIO.

PErsarum Fortuna licet mihi congerat aurum
Et niteat digitis indica Gemma meis,
Atque mihi sulcent domiti lata arua iuuenci
Et sint setigeri, lanigeriq; greges.
Nunquam mordaces discedent pectore Curæ
Numquam me lætum Sol Pater aspiciet.
At si quis Genius patrio me reddet Agello,
Perspicuus uitreas fons ubi fundit aquas,
Atque ubi pampineæ texunt umbracula uites,
Et uiridem frondens Laurus opacat humum.
Tunc ego qui uarios Terræ uariosq; profundi
Lustraui tractus, talia uerba canam.
Este procul curæ sæuum genus, este labores,
Iam mihi certa domus, iam mihi certa Quies.

DE PVERO DORMIENTE
Lusus poeticus.

SOpierat puerum frondente sub Ilice somnus,
Candida cui facies sparsa rubore nitet.
Credebam Veneris natum, post spicula iacta
Fessum gramineo procubuisse toro.
Ast ubi reclusit, frondes motantibus Euris,
Lumina sidereis æmula luminibus
Non amor hic sed Lydus erat, mox reddita uox est,
Hunc etiam credit sæpe Erycina suum.

AD

AD SIRLETVM. CARD. Ampliss.

TVnc labi poteris meo diserte
Sirlete ex animo, cadet nitenti
Cum cælo rutilans Pater diurnæ
Lucis, & Tiberis redibit, unde
Flauus defluit; immemor celebris
Esse unquam potero benignitatis
Et sinceri animi, fidelis atque
Erecti ad supera & pios Sacrorum
Ritus? Quid referam tuos lepores
Dicendi, Quibus atticam Mineruam
Romanamq; refers, quibus recenses
Gentis historias Deum canentis?
Virtus aurea non peribit unquam,
Illa sed potius uigebit inter
Mortales radio micans perenni,
Et te sidrea locabit arce.

AD ALDVM MANVTIVM Pauli. F.

LVmine non opus est alieno pellere noctem,
Palladiam sollers dum cupis ire uiam.
Alde Domi splendet Patris tibi fulgida lampas,
Extremis lumen quæ dat Hyperboreis,
Hæc rectum monstrabit iter, teneb rasq; resoluet,

Hæc te sublimi uertice constituet.
Adde quod ingenio polles, studioq; flagranti
Ardua virtutis per loca curris iter.
Nec te blandicijs capit immoderata Voluptas,
Vna potest iuuenes quæ dare præcipites.

PETRONII CAESARII FRATRIS
Epigramma de Rosa Puella.

VIncit Ebur niueum, niueum candore ligustrũ
Lac niueum, & niueã Lactea Rosa rosam,
Vincit puniceum, quem fert Aurora, ruborem
Vincit purpuream murice Rosa rosam,
Serpillum, violam, panaceam vincit odore,
Vincit Thura, Crocũ, Cinnama, Rosa rosam.
At uaria virtute, Pium qua Pectus abundat,
Vincit Castoreum, balsama, Rosa rosam.
Nec Mortale sonat, sed cum rosea ora loquuntur,
Tunc ridet tellus, tunc cadit ira maris.

DE MOMIS AD CAPILVPVM
Episcopum fanensem & Poetam
lepidissimum.

IN me bella licet moueant crudelia Momi
Quos agit Eumenidum Nyctelijq; furor,
Quidquid agent, celeres rapient per inania Venti,
Frangere nam fragili marmora dente uolent

Tutus

Tutus ego ante focum depellam frigora brumæ,
Atque dabo molli membra fouenda thoro:
Nec metus ullus erit. pro me Capilupus in hostes
Iactabit ualida fortia tela manu,
Tela quibus cedunt Chalybum fabricata caminis,
Nec maiora ferunt arma fuisse Iouis.
O Capilupe mei capitis Tutela decusq;
Te mihi cælesti misit ab arce Deus,
Te, qui tot uictis referes spolia ampla maniplis,
Par est ætherijs iungere numinibus,
Ipse tibi statuam templum prope Palladis ædem,
Et memor officij Thure a dona feram.

AD ANTONIVM.

CArmina quæ condis Phœbi cõdentur in æde,
Et poterit numquã longa abolere dies,
Antoni virides Parnassi perge recessus
Lustrare, ac sacro mergere fonte caput.
Sic tua Fama uagans percurret Gargara, Taurũ,
Et septemgemini Fluminis arua petet.

IN M. ANTONIVM Ciceronis Inimicum.

Antoni Silicem rigido sub Corde ferebas
Ac magis hyrcana Tigride sæuus eras;
Et tibi non mulier dedit vbera, cincta Colubris

Lactauit gremio sæua Megæra suo.
Milite corrupto potuisti tollere ciuem
Qui patriæ fuerat Vita salusq; tuæ?
Nil tamen egisti. qua Sol se tollit ab Vndis
Et qua se condit, Vox Ciceronis erit.

De quodam qui canoram vocem
exprobrabat.

QVis merito poterit vitio mihi vertere Mo-
Orāti quod uox tā mihi magna sonet? (mus
Nonne fuisse ferunt clamosum Rhetora Graij
Rhetora, qui ciues rexerat ore suos?
Terruit Alcides monstrosum vocibus Aprum
Vocibus & Paridem terruit Aeacides,
Tu, cui languescunt effœtæ in corpore uires
Exilem tenui fundis ab ore sonum.
Hinc te non hominem sed fas est dicere murem;
Si non vis murem, Tu leuis vmbra mihi es.

IN M. ANTONIVM
Ciceronis Inimicum.

QVi necat Antoni furiata mente Parentem
Culeus hunc merito plectit & vnda maris.
Quam ferus ille dabit pœnam, pia iura perosus
Est ausus Patriæ qui iugulare Patrem?
In tua, dum viues, tædis ardentibus ora
Tisiphone ueniens ex Acheronte ruet.
Post obitum te flamma uorax fornacibus uret
Aetnæ, dum pascet sidera clara Polus,

At prope Mercurium Ciceronis stella nitescet,
Augebitq; choros lumine sidereos,
Cuius, dum tusco se condet in æquore Tybris,
Certatim nomen martia Roma canet.

AD IANVM PELVSIVM.

NOn adeo mergor securo flumine lethes
Vt sit lapsa meis Patria visceribus,
Herculea sed qui suscepi mente labores,
Vt possim uili me quoq; tollere humo,
Ad Crathin redeam sic nudus? Sorbeat ima
Me potius tellus, & Phlegethontis aqua.
Ibo audax contra Fortunæ tela minacis,
Terrebitq; animum nulla procella meum,
Coniurent in me quamuis Boreasq; Notusq;,
Torqueat & magni fulmina Dextra iouis.
Interea solare tuis me Iane Camænis,
Quæ lepido uincunt Carmine Pieridas.

AD IANVM PELVSIVM.

VT tua Musa meos penetrauit Iane penates
Quæ placido dixit vultu mihi blãda salutẽ,
Atque tuum dulci detexit Carmine pectus,
Fraus ubi nulla latet, Sed permanet aurea Virtus,
Sic Ego delector, sic Mens mea fessa labore
Surgit, & exultans Curarum oblita quiescit,
Vt tua, posthabitis Graijs Latijsq; Camænis,

Musa meos releuet sensus, & suscitet artus.
Hinc, vt nonullis abolescat Gratia Saeclis
Officij meritiq; tui, Te Iane tabellis
Te pingam, sed non viridi niueoq; colore,
Qui tandem pereat, quem longa obliteret Aetas,
Pingam Te Minio, Delphis mihi quod dedit olim
Aedituus Phoebi, pluuias quod spernit et Euros
Acrapidas temnit populantes omnia flammas.
Illam spectabit picturam Tybridis vndas
Qui bibit, Hesperijq; Tagi qui colligit aurum,
Quique colit ripas sinuosi fluminis Istri.

DE SOPHIANI MORTE.

Florebat Sophia & flauis ornata capillis
Ausonios felix Diua colebat agros,
Nunc lacerata comam & nigro velamine amicta
Aut latet, aut gelidos visit Hyperboreos.
Quid causae est? auidus Sophianum sustulit Orcus,
Qui Sophiae ardenti lampade clarus erat.

LIBRARII ERRORES

In prima Oratione.

Folio.5.pag.1.versu 1.præcipitat resurgendi.
præcipitat vt resurgendi.

Fol.6.pag.2.per sale. pro sale

Cita perituros. Cito perituras.

In Galatea.

Verecundæ. pudibundæ.


BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
FIRENZE

